



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

Liber C.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

CIX.  
fi gau-  
i scripto  
uo con-  
abat se  
etiam  
ri mini-  
m esset  
jus pro-  
ant lo-  
quam



# HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ LIBER C.



GREGORIUS XII, TUM ALEXANDER V,  
DEIN JOANNES XXIII SUMMI  
PONTIFICES.

RUPERTUS, DEINDE SIGISMUNDUS OC-  
CIDENTIS, MANUEL PALÆOLOGUS  
ORIENTIS IMPERATORES.

§. I.

*Gregorius, ac Benedictus per litteras  
colloquuntur.*

Vix electus in Papam Gregorius, & Sæcul. XV.  
A. C. 1407.  
nondum coronatus erat: cum ad Benedictum  
scripsit ex pactione in Sup. l. 99.  
conclavi facta 23. Nov. 1406. Epistolæ §. 59.  
summam habe! In hoc schismate infau- Th. Niem.  
sto tuum est, ut videas, an conscientia l. 3. c. 4.  
tua Nemor. p.  
196.

STO.

Sæcul. XV.

A. C. 1407.

p. 198.

l. 3. c. 5.

tua non sit in periculo. Ad me quod at-  
tinet: meam candide declaro mentem.  
Nolo tempus perdere: sed quanto cla-  
rius, & certius est jus meum, tanto lau-  
dabilius, ac tutius fore censeo, si de hoc  
decedam ob pacem orbis Christiani. A-  
gedum, jungamus operam, ut concor-  
diam renovemus! Spondeo me abiturum  
munere, si tu abeas a jure, quod ad  
id habere te contendis. Dabat Romæ  
11 Dec. 1406. Has litteras Massiliam ad  
Benedictum detulit frater laicus ex Ordine  
S. Dominici, Legatus, ut videtur, tan-  
to negotio parum congruens. Gregorius  
eodem tempore ad Principes, Præfules-  
que circummisit epistolam suæ dignitatis  
indicem, ubi facit idem cessionis promissum;  
sed iterum cum eadem circumscriptio-  
ne: Si cedat adversarius.

Benedictus in responso pariter affir-  
mat se pacis ecclesiasticæ semper cupi-  
dum nunquam respuisse viam examinis,  
ut æquitatem causæ monstraret suæ.  
Pollicetur se cum suis Cardinalibus in loco  
tuto, & idoneo, quem Gregorius cum  
suis adire vellet, affore; ac ibi de jure  
suo decessurum, si Gregorius abiret a suo.  
Dabat Massiliæ ad S. Victorem pridie Cal.  
Febr. 1407. Sic Benedictus, & Grego-  
rius eadem loquebantur: sed & eadem  
cogitabant, nempe contraria iis, quæ di-  
cebant; ut postea videbimus.

§. II.

## §. II.

Sæcul. XV.

A. C. 1407.

*Gallorum Regis litteræ patentes.*

Interim Rex Franciæ Carolus VI edidit litteras patentes, Christianis inscriptas omnibus; ubi ait: Postrema hyeme congregavimus totius regni nostri concilium; in quo jacta esse credimus pacis ecclesiasticæ fundamenta. Cum enim Benedictus, & Angelus Romæ nuper admodum electus per epistolas suas consensissent in cessionem: decrevimus actutum mittere Legatos Benedicto, & competitori ejus suasuros, ut etiam scripto sponderent, se intra decem dies, postquam id rogati fuerint, in absentia alterius ab altero suæ quemque domi coram Cardinalibus suis per litteras, vel Procuratores pontificatum abdicaturos esse. Si hanc postulationem respicient: duo Collegia Cardinalium unum ac eundem adibunt locum, & ibi unum solum Papam eligent.

*Nem. p. 205.*

Si duo æmuli non velint cedere nisi præsentibus, ac in uno conjuncti loco: haud obsistemus; immo juvabimus eos potius. At si Benedictus quærat tergiversationes, aut quocunque modo rem ducere longius conetur: vel si Romanus non nisi præsentibus Benedicto, aut ne tum quidem velit cedere: his in casibus de sententia Ecclesiæ Gallicæ congregatæ, ac Universitatum Parisinæ, Arelianensis, &

&amp;

Sæcul. XIV.  
A. C. 1407.

& Andegavenſis illum, qui decem intra dies poſt petitionem præciſe in ceſſionem non conſenſerit, aut in hujus executione, ac rei adjunctis intra decem dies proximos noſtris Legatis non ſatiſfecerit, edicimus eſſe devitandum ut ſchiſmaticum Eccleſia extorrem, nullaque dignum obedientia, eo quod per eum ſolum ſtere- rit, quo minus pax fuerit Eccleſiæ reddita.

Deinde Cardinales nobiſcum bonas amplexi partes cum Cardinalibus alterarum partium in eundem convenient locum, ut unicum cooptent Papam. Si quod abſit, ne tum quidem fieret ſufficiens concordia: noſtri Legati ſtuderent eam cum altera parte conficere iis conditionibus, quas in mandatis ſibi traditis fuſius expoſitas habent. Dabamus Pariſiis 18 Febr. an. 1407 regiminis noſtri 27.

*Monſtrelet.*  
vol. I. c. 33.

*Rayn.* 1407.  
n. 3.

In principio ejusdem menſis Rex, ac Universitas ad Benedictum miſerant octo & triginta omnino Legatos, ſcilicet Simonem Cramaldum Patriarcham Alexandrinum, Amelinum Mailliacenſem Turonum Archiepiſcopum, Petrum Allium Cameraci Antiftitem, Petrum Savoifiſium Bellovaci Præſulem, Meldarum Auguſtobonæ, ac Ebroicarum Epicoſos Dionyſiopolis, Gemetici, Michaëlimontii, Clarævallis, Divioni ad S. Stephanum Ab- bates, ac Doctores quam plurimos. Maſ- filiam delati Benedicto expoſuerunt Gre- gorium

gorium spondere cessionem ob pacem Ec-  
clesiæ. Nisi tantundem facias, adde-  
bant, jussi sumus declarare tibi, Franciam  
universam, pluresque alias Christiani or-  
bis regiones, tibi, ac æmulo tuo denega-  
turas obedientiam. Benedictus aiebat,  
se paucos intra dies responsurum. Inte-  
rim nullo Cardinalium conscio sanctionem  
fecit, qua volebat sibi, & suis successo-  
ribus perpetuo morem geri, ac inobse-  
quentem quemcunque in anathema inci-  
dere. Hæc sanctio per certum nuncium  
Parisiis ad Regem, ac Universitatem mis-  
sa obstupescit animos: & Legati abstu-  
lere responsum votis suis nequiquam con-  
sentaneum.

## §. III.

*Conditiones congressus.*

Interim Gregorius Massiliam tres Lega-  
tos misit, Antonium Corrarium Me-  
thonensem Episcopum nepotem suum,  
quem hac legatione fungentem renun-  
ciavit Bononiensem Antistitem; Guiliel-  
mum Normannum Præsulem Tudertinum  
Quæstorem suum; & Antonium Butrium  
celebrem Bononiæ Doctorem. Post mul-  
tos colloquii dies consenserunt, ut con-  
cordia fieret per cessionem Gregorii, ac  
Benedicti, peragendam Savone maritima  
Genuensium urbe episcopali; quo in fe-  
stum S. Michaëlis diem, aut, ut quam  
tar-

Sæcul. XV.  
A. C. 1407.Id. c. 41.  
Spicil. to. 6.  
p. 182.Th. Niem.  
l. 3. c. 13.  
Labour. l. 7.  
c. 1.  
Ughel. to. 1.  
p. 246.

Sæcul. XV.  
A. C. 1407.

*Th. N. Ne-*  
*mor. p. 260.*  
*Art. 21.*

tardissime, in Calendas Novembres convenirent. Tabulæ pacti hujus 20 Aprilis an. 1407 confectæ continent viginti tres conditiones pro securitate amborum, & comitum eos sequentium: statuebatur inter alias leges, ut neuter nuncuparetur antipapa, & neutrius Cardinales dicerentur commentitii.

*Rayn. 1407.*  
*n. 6.*

*Th. Niem.*  
*c. 17.*

Gregorius ex itinere Savonem faciendo capiebat ansam poscendi ab Ecclesiis sibi obnoxiiis subsidii pecuniarii: ut docent circummissæ litteræ 23 Aprilis datæ, ac singulares ad Regem Angliæ Henricum IV Calendis Junii scriptæ. At sub idem tempus Gregorius Cardinalibus suis, & Curiaæ suæ Primoribus significavit, se haud posse in destinatum tempus Savonem petere propter inopiam triumium, etsi a Venetis nancisci aliquas magnopore conatus esset. Addebat: Triremibus Genuensium non utar: suspecti sunt mihi, & merito, ob suum vetus in Venetos odium. Sed neque terra Savonem me conferam: haud forem ferendo sumptui. Memineris lector Gregorium fuisse Venetum.

*Labour. c. 5.*  
*6.*

*c. 9.*

Massiliae Benedictum Legati Gallici urgebant, ut promissa sua, præsertim illud, quod cessionem contingeret, mandari litteris, & ipsis tradi juberet. At recusabat, vivam vocem suam mereri fidem perhibens. Tum tripartito se dividebant:  
Ale.

Alexandrinus Patriarcha, & quidam alii  
 statuebant adire Romam; Turonensis Ar-  
 chiepiscopus, & Abbas Michaëlimonta-  
 nus manebant Massiliæ, quid Benedi-  
 ctus ageret, visuri: Dionysiosfanensis Ab-  
 bas Philippus Villetius, & Hugo Rothoma-  
 gensis Ecclesiæ Decanus in Franciam sunt  
 remissi: quo profecti etiam duo Episcopi  
 Tudertinus ac Methonensis Papæ Grego-  
 rii Legati Parisios 10 Junii advenerunt.

Sæcul. XV.  
 A.C. 1407.

c. 12.

Th. Niers.  
 c. 13.

Ad publicum Regis alloquium eodem  
 die admissi Ecclesiæ pacem quasi proxi-  
 mam nunciando tantum sparsere gau-  
 dium, ut Lutetia Gregorium multis or-  
 naret laudibus, & Angelum lucis appel-  
 laret, ad nomen ipsius Iustitiam allu-  
 dens. Magnis proin honoribus etiam ab  
 Universitate affecti diu hærebant in Fran-  
 cia: quæ Benedicto diffidens semper, an  
 is pontificatum deponeret, dubitabat.  
 Singula, quæ Methonensis Episcopus de  
 pactione Massiliæ facta retulit, postmodum  
 confirmarunt Legati Gallici Abbas Dio-  
 nysiosopolitanus, Decanusque Rothoma-  
 gensis. Reddebant etiam rationem, cur  
 Benedicto petitis deneganti litteras re-  
 cusationem obedientiæ non indicassent.  
 Exasperare illum, aiebant, nolimus, ne-  
 quo modo congressui Sayonensi obsta-  
 ret.

Sæcul. XV.  
A. C. 1407.

§. IV.

*Legati Gallici Romæ agunt.*

*Labour.*  
*c. 13. Ms.*  
*p. 258.*

*c. 17. Ms.*  
*p. 262.*

Patriarcham Alexandrinum, & comites ejus 5 Julii Romam delatos Leonardus Firmiensis Episcopus, Papæ Gregorii nepos, & Camerarius honorifico excepit hospitio, ac postridie Papæ stetit. Oratores Benedicti jam Romæ præsentibus cum illis se sociabant, Gregorio instandi gratia, ut ex promisso suo Savonem peteret. Tandem die Jovis 21 Julii ad congregatos secum Gregorii Cardinales, Papa vester, ajebant, jam sexies rogatus a nobis, ut pactum Massiliense confirmaret, per tres hebdomades, quibus hæremus Romæ, responsum non dedit. Nunc igitur in præsentia Legatorum Galliarum vobis asseveramus, per Benedictum non stare, quo minus fiat pax Ecclesiæ: atque si Gregorius nobis reddere responsum velit; hodie reddat, oportet: nec enim diutius hic agemus.

Posteaquam Alexandrinus Patriarcha eadem affirmaverat; Cardinales Legatis omnibus ad longiorem inductis moram postridie legendam præbebant schedulam, qua Gregorius poscebat alium a Savone congressus locum; aut ut Benedicto pariter ac ipsi terrestre placeret iter; & castrorum Præfectus Bucicaltus rediret in Franciam. Cum utraque pars etiam quæ-

quædam alia proposuisset: denique Legati Gallici Genuam adierunt: ubi Patriarcha 22 Augusti Papæ Gregorio scripsit, ut staret promissis, suadens, sed frustra. Deinde in S. Honorati insulam venerunt; quo Benedictus se receperat ob pestem Massiliæ grassantem. Iterabat promissum eundi Savonem: at renuebat exarmare triremes suas, quas reservare semper ad securitatem volebat suam.

Sæcul. XV.

A. C. 1407.

6. 20.

## §. V.

*Gregorius Senis, dein Lucae commemoratur.*

Interim Papa Gregorius 9 Augusti Roma profectus Viterbium, cum tres ibi hebdomades egisset, ineunte Septembri cum sua Curia Senas transit: ubi per reliquum manebat annum. Ludificandis inibi Cardinalibus suis dicebat se abiturum pontificatu, sed ea conditione, ut per vitam suam servaret omnia, quæ habuisset, antequam evasisset Papa, nempe titulum Patriarchæ Constantinopolitani, episcopatus Methonensem, Coronensemque in terris Venetis, ac prioratus cujusdam administrationem. Præterea Eboracensem Angliæ archiepiscopatum petebat, qui falso credebatur vacuus.

Th. Niema.

l. 3. c. 19.

6. 21.

Imminente priore die ad congressum destinato nempe festo S. Michaëlis Benedictus

Qq 2

dictus

Sæcul. XV.  
A.C. 1408.

*Th. Niem.*  
*Nemor.*  
*p. 244.*

*De schism.*  
*l. 3. c. 23.*

*Nem. p. 312.*

dictus cum suis Cardinalibus jam Savonem delatus expectabat Gregorium, & collegium ejus. Qui huic instanti, ut ex promisso illuc iret, reposuit: Nolo me, meamque Curiam totam temere offerre periculis. Transibo in Lombardiam, & per Marchionem Montis Ferrati tutus in Pedemontio manebo, donec illius opera perfectam Ecclesiæ pacem consequamur. Præsente tandem posteriore die congressi præstituta scilicet prima Novembris Gregorius scriptum quoddam continens rationes, ob quas nequivisse se Savonem petere perhibebat, Senis promulgari voluit, vulgarique lingua exponi a multis præsertim Ordinum Mendicantium Oratoribus sacris; quorum aliqui etiam contendebant eum salva religione haud posse pacem conficere.

Sub initium anni 1408 Gregorius Senis Lucam cum suis venit. Dum primum senatum publicum ibi habebat, Benedicti Nuncii orabant, ut ille cum ipsorum Domino ad extinctionem schismatis reapse aggrederetur, nec eam differret amplius. Respondebat palam, esse se paratum cedere, dummodo Benedictus idem ageret per se ipsum, aut Procuratorem. Quæ verba Cardinales, & Curiam ejus perfundebant gaudio; sed effectu carere, ut promissa priora. Theodoricus Niemius addit: Multi ajunt, hos duos competi-

petitores ad impediendam concordiam  
 conspirare, similes duobus pugilibus, qui  
 descenderent in arenam quasi sine missio-  
 ne pugnaturi, sed postquam condixissent  
 omnem abfore læsionem; & abeuntes si-  
 bi applauderent de spectatoribus diu de-  
 lulis; at horum fabula fierent.

Sæcul. XV.  
 A. C. 1408.

## §. VI.

*Aureliæ Dux occiditur.*

In Francia tum temporis commissum est  
 crimen, quod magnas consecutiones  
 habuit, etiam religionem si spectemus.  
 Ludovicus Aureliæ Dux Regis frater uni-  
 cus Parisiis 23 Nov. 1407 publice neca-  
 tus est jussu Joannis Burgundiæ Ducis  
 patruelis sui, qui cædem palam fuit &  
 aperte fassus. Nam cum Aureliæ Dux  
 vidua suas ad Regem querimonias detu-  
 lisset, Dux Burgundiæ mox in Flandriam,  
 cujus erat Comes, se recepit; dein Pa-  
 risios revertit tam numerofo cum comita-  
 tu, ut timeretur potius, quam ipse time-  
 ret sibi: & tunc voluit se purgare per Do-  
 ctorem Theologiæ Joannem Parvum: qui  
 8 Martii anno 1408 pro eo dicebat in pa-  
 latio Pauliano, ubi aderant Ludovicus  
 Dux Aquitaniæ, Delphinus Regis filius  
 natu major, Rex Siciliæ, Cardinalis Ba-  
 rensis, Biturigum, Britannicæ, ac Lotha-  
 ringiæ Duces, multi Proceres, Rector

Monstrel. l. 1. c. 26.

6. 39.

Qq 3

Uni-

Sæcul. XV.  
A. C. 1408.

Vading. an.  
1410. n. 19.

p. 40.

Lib. 3. c. 15.  
Sup. l. 70.  
§. 35.

Th. Niem.  
Labyr. c. I.  
p. 284.

Universitatis, magnusque numerus Doctorum, civium, aliorumque de populo.

Doctor Joannes Parvus erat Normannus patria, & ex Ordine Minorum: nihilominus in exordio sermonis sui de suo in Burgundiæ Ducem studio sic reddit rationem; Tres abhinc annos ei mea jura vi obsequia: tribuitque mihi largam pensionem annuam, unde haud modicam sumptus mei partem capio. In orationis corpore inter alia illud defendit, licere cuilibet privato tyrannum perimere: additque: Hujus rei veritatem stabilio duodecim rationibus in honorem duodecim Apostolorum. Tum laudat Joannem Salesburinum: & vero is annos abhinc ducentos quadraginta in suo Politico hunc errorem sustinuerat. Denique Joannes Parvus rem transfert in Ducem Aureliæ, in quem atrocia crimina conjicit; at sine argumentis convincentibus. Ita comparati erant celebres illius temporis Doctores.

§. VII.

*Gregorii Cardinales novi.*

Duodecima Januarii hoc anno 1408 edebantur Christianis omnibus inscriptæ Regis litteræ de obedientia Gregorio, ac Benedicto neganda post anniversariam Ascensus Domini diem 24 Maji. Sed prius orta est inter illos, & Cardinales

les eorum dissensio. Cum Gregorius Sæcul. XV.  
A. G. 1408.  
animum induxisset, ut verni jejunii tem-  
pore quosdam sacra ornaret purpura:  
Cardinales cum eo Lucæ agentes id tam c. 33. p. 370.  
Schism. l. 3.  
c. 31.  
naviter dissuadebant, ut rem differret us-  
que in tertiam a Paschate Dominicam.

Sed tum redibat ad propositum: neque  
tamen vel precibus, vel minis poterat  
Cardinales ad consensum adducere: coi-  
bant potius, & jurabant, nunquam a se  
agnitum iri collegas, quos ille adungere  
ipsis vellet. At vero Gregorius quarta  
hebdomade, die Mercurii 9 Maji in ab-  
sentia Cardinalium, sed coram nonnullis  
Præsulibus ob id unum accitis quatuor  
Cardinales fecit, ac sequente sabbato ex  
more in senatu publico declaravit.

Novorum Cardinalium priores erant  
duo nepotes Papæ, nempe Antonius Cor-  
rarius ex ipsius fratre, atque Gabriel Con-  
delmerius ex ejusdem sorore nati. Per Heliot. Ord.  
Relig. to. 2.  
p. 537.  
Bonifacii IX auctoritatem, & litteras  
mense Martii anno 1404 jam simul cœ-  
perant ad veterem sanctimoniam revoca-  
re cœnobium S. Georgii Venetiis *in Alga*  
*fitum*; unde venit quædam Canonico-  
rum societas, quæ stetit amplius annis ducen-  
tis quinquaginta. Antonio Corrario suus  
patruus officium Camerarii Ecclesiæ Ro- Ughel. to. 2.  
p. 36.  
manæ, titulum Patriarchæ Hierosolymæ,  
ac episcopatum Bononiæ, ut jam dixi,  
contulit: sed hunc ille ob urbis seditio-

Sæcul. XV.  
A. C. 1408.

nem contra suum patrum possedit nunquam; & anno 1412 abdicavit, pensionem aliquam reservans sibi: obtinuit templum S. Chrysogoni: vocabatur vero Cardinalis Bononiensis.

Gabriel Condemerius jam a Gregorio Sacrae Sedis thesauro praefectus, ac Senarum Episcopus Senensium ingratis decretus, modo titulum ab aede S. Clementis traxit, factus postmodo Papa Eugenius IV. Tertius fuit Joannes Dominicus Florentinus ex Ordine Prædicatorum ceber verbi divini Præco, & unus ex iis, qui palam negabant Gregorium posse salva religione abscedere pontificatu. Et vero per illum evasit Ragusinus Archiepiscopus, modo Cardinalis Presbyter de S. Sixto. Quartus, Jacobus Utinensis dictus ex patria sua agri Forojulienensis urbe, Archigrammateus Apostolicus, modo Cardinalis Diaconus de templo S. Mariæ Novo.

§. VIII.

*Cardinalium antiquiorum appellatio.*

*Th. Niem.*  
*ibid. § 1. 3.*  
6. 32.

Hac illorum promotione offensi gravissime Cardinales veteres aliquot diebus non adibant Papam; nec suos Collegas novos agnoscebant. Cardinalis Leodiensis die Veneris 11 Maji sub lucis ortum pone duos focios perfonatus Luca exit;

exiit; ac Pifas decies mille passibus inde  
 distantes adiit. Re comperta Paulus  
 Corrarius Papæ nepos confestim multos  
 equites armatos, qui eum captum Lu-  
 cam reducerent, misit; ipse illius diver-  
 forium ingressus inventa interim asporta-  
 ri, & aliquot ejusdem domesticos, qui  
 Lucæ remanserant, in carcerem compin-  
 gi jussit.

Sæcul. XV.  
 A. C. 1408.

Eodem die 11 Maji sub occasum solis  
 sex alii veterum Cardinalium suis cum  
 domesticis Luca pariter egressi venerunt  
 Pifas. Ibi magnis accepti honoribus, &  
 in tuto positi die Domina decima tertia  
 ejusdem mensis confecerunt tabulas ap-  
 pellationis, ubi sic nominantur: Angelus  
 Cardinalis Ostiensis, Antonius Prænesti-  
 nus, Conradus Cardinalis Presbyter de  
 S. Chryfogono, Jordanus de S. Martino  
*in montibus*, Rainaldus Diaconus de S.  
 Vito, Odo de S. Georgio *ad velum aureum*, ac  
 Joannes de SS. Cosma & Damiano; sci-  
 licet Cardinalis Leodiensis. Tum Papam  
 compellantes inquit: Novem abhinc  
 dies comperimus, tuam Sanctitatem tria  
 nobis interdixisse. Et primum quidem  
 interdictum erat, ne ab illo die nimirum  
 quarto Maji sine tuo permisso Luca exi-  
 remus. Eodem autem die, qui erat Ve-  
 neris, palatium ingressi eam hujus par-  
 tem, in qua habitas, etiam intus ple-  
 nam armatis vidimus præter custodes or-  
 dina-

Labyr. p.  
 311. 371.

p. 304

Sæcul. XV.  
A. C. 1408.

dinarios. Homines fide digni nobis dicebant, Cardinales aliquos eo die necatum iri. Hoc ut crederemus, effecit structa Cardinali Leodiensi pernicies. Nam qui eum insequerentur, nisi reducere possent, interficere iussi fuerant. Insuper priore nocte in ædibus tuis cubabant vincula, & catenæ Cardinalium pedibus impingendæ. At non commiserant crimina talibus digna pœnis.

Altera interdictio fuit, nequem in locum sine tuo præcepto claro conveniremus. Sic debebas jus sacri Collegii nostri, cujus officium primum est coire ad conferenda consilia de fide, de hæresibus, ac schismatibus. Dum nobis hanc demebas libertatem, non tantum volebas Ecclesiæ pacem per te ipsum curare, verum etiam obstabas, ne vos ei daremus operam. Interdictum tertium erat, necum Nunciis Petri Lunii, vel cum Legatis Franciæ colloqueremur. Sumus autem jurisjurandi religione obstricti, ut omnia tentemus ad Ecclesiæ concordiam necessaria, vel utilia; quæ nequit fieri nisi per pactiones, & congressus cum parte altera.

Idcirco Sanctissime Pater omni cum reverentia tibi dicimus has interdictiones esse nullas; atque si vim haberent aliquam, injustas fore. Nos per eas incommodis affecti hoc scripto appellamus  
pri-

primum ad te ipsum rem melius edocendum, ac ex præscripto sanæ rationis judicaturum: at si opus sit provocatione ad personam aliam, appellamus ad Christum Dominum nostrum, cujus Vicarius es, & qui judicabit vivos, & mortuos. Provocamus ad concilium generale, ubi cunctæ actiones etiam Paparum discuti, & judicari solent. Appellamus insuper ad Papam futurum, cujus erit corrigere antecessoris acta iniqua: & reclamamus contra omnia, quæ inter cursum provocationis hujus damno nostro fieri, vel agitari possent.

Hæ appellationis tabulæ mox promulgatæ Pisis, ac postero die Lunæ Papæ Gregorio in senatu publico indicatæ sunt, cum pro more recens creatis Cardinalibus annulos, ac reliqua novæ dignitatis insignia præsentem suam Curiam universam traderet. Negabat illico se respecturum hanc provocationem. Eodem die Lunæ 15 Maji an. 1408 versantes Pisis Cardinales confecerunt litteras, quas ad diversas Principes, Præsulesque circummittebant, ut orbi Christiano de suo agendi modo rationem redderent. Summa illarum hæc erat: Optime gnari, vos summa semper voluntate curasse honorem, statumque bonum sanctæ Ecclesiæ matris nostræ, decrevimus vobis, quid in ea acciderit, significare, ut ope vestra possimus

Sæcul. XV.  
A. C. 1408.

Labyr. p.  
372.

p. 308.

Sæcul. XV.  
A. C. 1408.

simus consequi concordiam tot cupitam votis, & unicum finem nostrum. Referrunt ea, quæ post obitum Papæ Innocentii VII facta erant, præcipue juramentum in conclavi dictum, ostensasque a Gregorio XII bellas spes ingenue committendi ad pacandam Ecclesiam.

Exponunt ejus tergiversationes artesque ad fallenda promissa dein ab eodem adhibitas; creationem novorum Cardinalium; & suum abitum ad urbem Pisas. Hic sumus demum inquirunt, ob honorem, & pacem Ecclesiæ; oramusque vos, ac studiosissime hortamur, ut nobiscum amplectamini causam tam necessariam, vobisque ingenti gloriæ, ac vestris animabus salutem futuram.

## §. IX.

*Benedicti litteræ injuriosæ.*

*Preuv. Li. bert. p. 485. Duboulai to. 5. p. 158.*

Parisiis eodem die 14 Maji mane Sanctius quidam Lopesius observata hora, qua Carolo nullus regii sanguinis Princeps aderat, illi præbebat clausas Benedicti litteras Regi, & cognatis ejus Consiliariis omnibus inscriptas. Carolus ad Sanctium dicebat: Ii, ad quos scriptæ sunt litteræ, modo hinc absunt: sed accersam illos: solvent earum vinculum; & cras tibi responsum reddent. Convenire igitur ad Regem Principes, nempe Ludovi-

dovicus Andegavensis Rex Siciliae, Biturigum, & Burgundiae Duces, Petrus Sæcul. XV.  
A. C. 1408.  
 frater Regis Navarrae, Comes Niverni  
 frater Ducis Burgundiae, ac frater Regi-  
 nae. Resignatae sunt litterae; quae con-  
 tinebant, si summam spectem, quinque pro-  
 positiones. Prima erat: Benedictus exe-  
 cratione devincit omnes omnino, etiam  
 Reges, ac Principes congressum rejicien-  
 tes, II approbantes cessionem, III opi-  
 nionem suae contrariam tuentes, IV de-  
 negantes sibi obedientiam, vel abjudi-  
 cantes sibi collationem beneficiorum, aut  
 exactionem pecuniarum. V. Siquis res  
 mutare audeat, nec intra viginti dies in  
 statum pristinum restituat, Benedictus  
 pronunciat interdictum generale, contra  
 beneficiarios functionum intermissionem,  
 solutionemque a fide jurata Regi, caete-  
 risque Principibus.

## §. X.

*Benedicti litterae damnantur, & con-  
 cerpuntur.*

Duodecimo Calendas Junias in horto  
 palatii prope fluvium excitati fue-  
 rant suggestus plures. In summo fede-  
 bat Rex Carolus: alterum Rex Ludovi-  
 cus, tertium reliqui Principes, quartum  
 Galliae Cancellarius cum Praefectis supre-  
 mae Curiae, ac Magistris libellorum sup-  
 plicum,

Sæcul. XV.  
A.C. 1408.

\* de Courte-  
cuiffe.

plicum, quintum ad sinistram Caroli Parisinus Episcopus, cæteri Præsules, ac Rector Universitatis tenebant. In medio, ac e regione Caroli erectum erat pulpitum, in quo stabat Joannes \* Brevicorius Theologiæ Doctor: qui hominum innumera multitudine infra circumdatus Universitatis nomine defendebat tredecim propositiones sequentes:

1. Constat, nec Regem, nec Principes eum sanguine contingentes ob pacem ecclesiasticam fecisse unquam aliquid præterquam de consilio, ac sententia Præsulum, Clerique, ac Universitatum regni.
2. Petrus Lunius per suum agendi modum prodidit suam cum adversario conspirationem ad aspernamdam cessionis viam.
3. Per schedulam, quam in conclavi dedit, atque per actiones ejus patet, ipsum esse pertinaciter perjurum in materia fidei.
4. Aperte hæretica erant hæc ejus publica in senatu verba: Credo me peccatum graviter, si pontificatu abscederem.
5. Per suam agendi rationem convincitur pro viribus exagitasse curantes bona fide ac mente concordiam Ecclesiæ. Certum est, eum in suis legationibus approbasse viam cessionis, & ut sanctam, ac Ecclesiæ utilem commendasse.
7. Ex sermonibus, & factis ejus evidenter apparet, ipsum cum fautoribus suis novum in Ecclesia schisma moliri.

Per

Per hæc omnia liquet Petrum Lunnium esse schismaticum pervicacem, quin etiam hæreticum, ac turbatorem pacis ecclesiasticæ. Nemo illum amplius Benedictum, vel Papam, vel Cardinalem, vel alio dignitatis nomine appellare, nemo ei obedire debet, qui nolit censi fautor schismatis. Collationes beneficiorum, actiones ejus a quinta Nonas Majas anni prioris, qua litteras quasi Apostolicas dedit, & consecutiones illarum cunctæ sunt irritæ. Quisquis vel litteris, vel mandatis ejus obtemperat, habendus est fautor schismatis, hæresisque. In illos, qui eundem fovent, recipiunt, aut protegunt, animadvertendum est sicut in eum ipsum. Denique, quotquot in Francia consilium ei, aut opem afferunt, se faciunt manifesto reos læsæ Majestatis.

Cunctas propositiones istas ut demonstraret, Joannes Brevicoxius sermonem longum instituit: quo finito surgebat alius Doctor, Regemque, ac hujus Consiliarios rogabat, ut accurate indagarentur ea, quæ litteras postremas contingerent; ut illi, qui suggessissent eas, aut recepissent, caperentur plectendi, prout res posceret; ut Rex nullas in posterum Petri Lunnii litteras acciperet; atque ut ultimæ conscinderentur tanquam seditiosæ, ac violantes fidem, & Majestatem regiam.

## §. XI.

Sæcul. XV.  
A. C. 1408.

8.

9.

10.

11.

12.

13.

Sæcul. XV.

§. XI.

A. C. 1408.*Epistolæ ad Cardinales Romanos.**Preuv. p. 500*  
*Duboulai*  
*p. 162.*

Postero die 22 Maji an. 1408 Rex ad Cardinales Romanos dedit epistolam: ubi malam in fidem alienosque a pace animos Gregorii, Benedictique investus Cardinales per nomen Dei obsecrat, ut deserto illo (Angelum Corrarium vocat) cum Collegio altero in eundem conveniant locum. Id si faciant, se offerre ipsis suam opem, sua bona, suam Galliam, & quidquid suum esset. De cæteris rebus agendis loquerentur cum Alexandrino Patriarcha, & sociis ejus, quos haberent præsentés. Nondum constabat Parisiis, Cardinales Romanos relicto jam Papa Gregorio Pisas abiisse.

*Libert.*  
*p. 502.*  
*Duboulai*  
*p. 163.*

Quarto Calendas Junias etiam Universitas apud Mathurinos ad eosdem Cardinales scripsit litteras, in quibus ait: Res tota in vos recidit: vestrum modo est curare, ut congregato utroque collegio, & ambobus æmulis destitutis unum solum Papam accipiat orbis. Hac de materia scripsimus ad Cardinales nostrarum partium. Exponit nervosissimam contra duos Papas epistolam suam: denique obtestatur Cardinales Romanos, ut se conjungant Avenionensibus.

§. XII.

## §. XII.

*Benedictus fugit.*

Sæcul. XV.

A. C. 1480.

Interim Universitas, seu potius Doctores quidam privato nomine suo induxerant Regem, ut exarari plures juberet epistolas, & unam quidem ad Bucicaltum Genuæ Governatorem, ut Petrum Lunium, si posset, caperet. Nam cum hic anno 1402 Avenione libertatem reciperet, ille mandatum habuit, ut duceret eum, ac reduceret, donec cum æmulo junxisset pacem. Bucicaltus Lunium comprehendendi jusserat, & asservari, ut ne iret extra terras Regi obnoxias. At Lunius re comperta triremibus suis, quas semper armatas tenebat, se commisit; ac Genuesium littora per menses duos circumventus, postquam in patriam suam Cataloniam transferat, Perpiniarum urbem in confinio Arragoniæ, ac Franciæ sitam petiit, hoc tuto in loco procellæ finem expectaturus.

*Libert. p.*

498.

*Sup. l. 90.*

f. 40.

*Labour.*

p. 645.

*Ms. p. 218.*

## §. XIII.

*Gregorius se defendit.*

Angelus Corrarius Lucæ continenter commorans studebat suam agendi rationem purgare scripto fusissimo, quod esset responsio ad tabulas appellationis Romanorum Cardinalium. Negat ibi

*Rayn. v. 9.*

10. 8c.

*Hist. Ecclesiast. Tom. XXIV.*

Rr res

Sæcul. XV.  
A. C. 1408.

res odiosiores, veluti voluntatem illos enecandi: sed arguit eos seditiosæ con-  
spirationis cum inimicis suis, inter alios cum Rege Ladislao, qui ad dominatum Romæ aspiraret. Et vero urbem 8 Maji hoc anno ingressum Romani tam honorifice receperant, quam si venisset Imperator. Angelus Corrarius perhibet novorum Cardinalium creationem sibi opus fuisse ad muniendum se contra rebelles, quos novi schismatis accusat. Dabat 12 Junii.

Rayn. n. 5.  
Labyr. p.  
332.

Undecimo Calendas Julias edebat litteras Christianis inscriptas omnibus; ubi ait procedentem jam belle concordiam turbatam esse malis quorundam machinis se pontificatu dejici unice cupientium, Petrumque Lunium Bucicali ope potiri Roma velle. Conqueritur calumnias totum per orbem contra se sparsas: denique asseverat iterum, se solam concordiam desiderare.

§. XIV.

*Litteræ Cardinalium concilium indicentium.*

Cardinales Petri Lunii octo aut novem numero adierant diversa loca prætextam per causam fruendi cælo liberio-  
re, donec calores æstivi se frangerent, At cum se a suo Papa destitutos cernerent,  
jun-

junxerunt se Cardinalibus Romanis: cun-  
 etique simul curabant scribi epistolam no-  
 mine tum suo, tum Collegarum absen-  
 tium, tum illorum, qui adhærere ipsis  
 vellent, ad omnes Episcopos, & Abbates  
 circummittendam: ubi exponunt ea, quæ  
 post obitum Innocentii VII facta fuerant;  
 adduntque: Amissa spe concordæ per  
 Gregorium, ac Benedictum renovandæ,  
 cum etiam de collusionem suspecti essent,  
 Luca intuta urbe (sic loquuntur Cardi-  
 nales Romani) Pisas, & inde Ligurnum  
 venimus altero cum Collegio de modis  
 conficiendæ pacis ecclesiasticæ acturi.

Consideratis hac de re sententiis Uni-  
 versitatum Parisinæ, ac Bononiensis vi-  
 dimus eas admodum inclinare ad septem  
 has conclusiones: Crediti duo Papæ per  
 suum pastorale officium ex jure communi  
 tenentur in hoc rerum statu cedere, cum  
 aliter fieri nequeat concordia: nisi hoc  
 agant, credentur suæ dignitati tempora-  
 riæ posthabere salutem populi, pacem Ec-  
 clesiæ, ac vitam æternam. Ad cessionem  
 eo arctius adstringuntur per suum promif-  
 sum, votumque, ac jusjurandum. Papa  
 in tali schismate recusans exequi, quod  
 juravit, & facere deberet etiam sine jura-  
 mento, committit crimen evidens, quod  
 eum subjicit jurisdictioni Concilii. Præ-  
 terea hinc infertur illum esse fautorem  
 schismatis, cujus diuturnitas eundem con-

Rr 2

jicit

Sæcul. XV.

A.C. 1408.

Kayn. 1408.

n. 22. Sc.

to. II. conc.

p. 2146.

p. 1148. E.

1.

2.

3.

4.

Secul. XV.  
A. C. 1408.

jicit in hæresim: atque in dubio rursus ad Concilium pertinet judicium de his quæstionibus.

5. Est pariter Judex controversiæ de vero Papa tam ægre decidendæ ob difficultates insuperabiles facti, & juris: e quibus tamen eluctandum est, ut ne perpetuo sic distracta maneat Ecclesia tanta orbis offensione, tantoque animarum damno.
6. Quamdiu autem res hoc sunt loco & ambo æmuli suo stare juramento renuunt; submissi hæctenus eis populi possunt, ac debent ipsis denegare obedientiam, peccaturi, si non denegent, quia foverent schisma. Demum manifesto patet, ambos deesse suo muneri, ac juramento, cum possent cedere saltem per Procuratorem, aut coram suis Cardinalibus. Nam jusjurandum illos suum adigit, ut omittant nihil eorum, quæ ad pacem Ecclesiæ necessaria, utilia, vel opportuna sunt.

His omnibus perpensis statuimus altero cum Collegio Ligurnum petere; ac sufficiente numero congregati consideravimus æmulos nunquam contra se ipsos integrum convocaturos concilium, aut certe rem dilaturos nimis, vel non bonos facturos fide, utpote gnaros, ibi se de fastigio detractum iri: neutrum habere auctoritatem ad congregandam utramque partem: neminem illis, ut coirent, persuasum.

suasurum, tum propter voluntatum alienationem, tum ob distantiam locorum, in quibus agerent nulla habita ratione negotii tantam poscentis celeritatem: cum interim errores invalescerent, ac schisma perennaret.

Itaque partium nostrarum concilium convocandum in certum tempus ac locum, idemque Collegio alteri faciendum duximus. Id decretum nostrum vos edocemus, oramusque, ut Pisis mense Martio anni proximi anniversario die Salutæ ab Angelo Virginis adfitis: in quem locum, ac diem etiam alterum Collegium obnoxios sibi Præsules, aliosque Viros convocat. Qui venire ipsi haud poterunt, rogantur, ut Oratores idoneos mittant. Cum præsentibus providere paci ecclesiasticæ cogitamus, nec obstabit aliorum absentia. Dabant Ligurni 24 Junii an. 1408.

Collegium alterum pariter in octavum Calendas Apriles anni 1409 concilium Pisas convocabat similem per epistolam itidem Ligurni, sed pridie Idus Julias scriptam: in qua inter alia nota hæc verba: Domino Benedicto suamus, ut suo adversario se offerret ad cendum per Procuratorem: qua de re responsum reddidit nullum: sed hanc pacis viam ei non probari vidimus, dum quatuor e nostro numero cum Collegio alte-

Sæcul. XV.  
A. C. 1408.

Concil. p.  
2145.

Sæcul. XV.  
A. C. 1408.  
ro colloquendi gratia Ligurnum ex consensu suo profectis Portu Veneris in Catalonia abiit, de concordia id solum memorans, se velle Calendis Novembribus Perpiniæ habere concilium. Reliqua hujus epistolæ sunt ex priore prope ad verbum repetita.

Conc. 2114.  
Spicil. pag. 200.  
p. 2115. D.  
Eodem die 14 Julii Cardinales iidem Benedicto scribebant, hunc etiam tum agnoscentes Papam. Indicabant ei vocationem concilii Pisani, & huc ipsum invitabant: hæc sunt epistolæ capita. Ibi, quod observandum, inquit: Hunc convocandi modum communi consensu adhibuimus ob neutrarum partium studiosos, & quia, si tu convocares, non venirent sectatores Corrarii, ac hujus convocationem haud respicerent fautores tui. Ac deinde: Duæ partes tam commode, tamque utiliter convenire nequeunt extra Italiam: quia hæc concilia peculiariora, & in locis inter se multum distantibus finire schisma non possent. Et rursum: Oramus, ut mentem hac de re tuam nobis declares, ut tuæ securitati, libertatique, ac reliquis rebus necessariis providere queamus.

## §. XV.

*Gregorius concilium convocat.*

Interim Romanæ Curiaë Ministri Pisani  
com-

commorantes ferebant multos sermones  
 in Papam Gregorium, ac novos  
 Cardinales ejus, scriptaque has vitupera-  
 tiones continentia spargebant, quin etiam  
 domibus Lucæ, ubi agebat Gregorius, af-  
 figenda curabant. Ut proin se purgaret,  
 ac semper cupidus pacis crederetur, con-  
 cilium generale indixit per litteras in  
 hanc sententiam scriptas: Experientia  
 nos docuit Ecclesiæ pacandæ viam opti-  
 mam esse concilium generale: quale con-  
 gregari nequit nisi per Papæ authorita-  
 tem: alioquin duntaxat foret conciliabu-  
 lum. Igitur in Pentecosten indicimus  
 concilium generale in Aquilejensi provin-  
 cia habendum, eoque accersimus omnes  
 Episcopos, cæterosque Præsules acciri  
 solitos. Dabat 2 Julii an. 1408: & Pen-  
 tecoste anno proximo futura erat 26  
 Maji.

Ad illud, quod Gregorius his in lit-  
 teris ait, Papam solum esse, qui convo-  
 care concilium generale queat, Cardina-  
 les post aliquot dies respondebant scripto  
 eum sic alloquentes: Contendimus ple-  
 nam potestatem convocandi concilii ge-  
 neralis ex jure ad nos esse devolutam:  
 nec enim vos duo simul possētis tale con-  
 cilium eundem in locum congregare. Al-  
 terarum partium convocatio non faceret  
 generale concilium: nil possēt ibi decidi  
 de altero Papa, quin is rogatus senten-

Rr 4 tiam

Sæcul. XV.

A. G. 1408.

Th. Niem.

l. 3. t. 35.

6. 36.

Concil. p.

3002.

Rayn. 1408.

n. 38.

Sæcul XV.  
A.C. 1408

tiam esset: ad id concilium non veniret cum suis partibus: pone autem venturum: si ambo præsideretis concilio, sicut faceret Papa non dubius: Ecclesia diceretur monstrum biceps. Præterea canones, qui de Papæ autoritate ad convocandum concilium agunt, nequeunt habere locum, quando æmuli duo dantur, qui parem per cessionem suam sine concilio conficere pacem Ecclesiæ possent.

Itaque si congregare concilium velles, videreris iterum rem ducere longius: & quorsum serviret convocatio tua? Num ad discutiendum amborum jus in alterarum partium absentia? Fac vero adesse: num vos duo, qui factum auditione duntaxat nostis, id sciretis concilio indicare melius, quam ii, qui viderunt illud, contractaruntque, ut sic dicamus, & tam ubertim exposuere? Adhæc si partes ambæ convenirent, quis contra suas pronuntiaret? Immo Præsules, Principesque vestrum agendi modum pertæsi ad severam poenam aliquam vos damnarent. Denique Cardinales hortabantur Papas, ut concilio Pisano destinata die adessent. Hoc scriptum est Ligurni editum 16 Julii.

*Th. Niem.* Biduo ante, nimirum die sabbati 14  
*l. 3. c. 36.* ejusdem mensis Papa Gregorius Luca  
*Labyr. c. 43.* discesserat cum paucis tum curiæ suæ  
membris, tum militibus. Cum ejus comita-

reniret  
ventu-  
o, sicut  
dice-  
cano-  
convo-  
nt ha-  
lantur,  
conci-  
nt.  
velles,  
is: &  
Num  
altera-  
adefse:  
e dun-  
dicare  
d, con-  
& tam  
partes  
as pro-  
ncipes-  
æfi ad  
narent.  
Papas,  
deslent.  
am 16  
pati 14  
Luca  
æ suæ  
jus co-  
mita-

mitatus primam itineris noctem perpo-  
tasset; mula pro more Divinam portans  
Hostiam tam male ducebatur, ut in fos-  
sam caderet; ubi velut extincta prope  
duas jacebat horas. Gregorius Marchiam  
Anconitanam aditurus erat: sed in via  
edoctus se illam tuto petere haud posse,  
Sienam redire cogebatur; quam attigit  
die Veneris 20 Julii. Bene ibi exceptus  
trimestri spatio manebat apud Augusti-  
nianos habitans.

Sæcul. XV.  
A. C. 1408.

Parisiis in Calendas Augusti Rex om-  
nes regni Præsules acciverat: qui magno  
ibi præsentibus numero in sanctam palatii  
ædiculam undecimo ejusdem mensis con-  
venerunt. Sacrum de Spiritu Sancto fe-  
cit Vitalis Castellonovinus Archiepisco-  
pus Tolosanus: & Joannes Montacutinus  
Senonensis Archiepiscopus electus est in  
Præsidem conventus; qui duravit usque  
ad Nonas Novembres.

Spic. p. 161.  
Labour.  
p. 646.

§. XVI.

*Puniuntur ii, qui litteras injuriosas  
attulerant.*

Rex nominaverat Viros, qui poenas de-  
cernerent Doctori Sanctio Lopesio,  
& cuidam Benedicti scutario Nobili, quip-  
pe qui contumeliosas ejus litteras attulif-  
sent. Postquam Judices die lunæ 20 Au-  
gusti sententiam suam promulgaverant:

Sup. S. 9.  
Labour.  
p. 652.  
Ms. p. 232.

Rr 5

duo

Sæcul. XV.  
A. C. 1408.

duo damnati induebantur dalmaticis nigris exhibentibus Benedicti insignia, & inscriptiones, per quas illi vocabantur falsarii, & perfidi a perfido missi: capitibus imponebantur infulæ papyraceæ. Hoc ornatu præditi vehebantur in plaustro ad palatii aream, ubi ludibrio populi exponebantur in pegmate. Sequentè Dominica pariter monstrabantur in propylæo templi Dominæ Nostræ: ubi Judicum quidam ex Ordine Mathurinatorum Doctor Theologiæ sermonem habens Petrum Lunium declarabat schismaticum, hæreticum, ac læsæ Majestatis reum, multisque onerabat conviciis Religioso, ac Theologo indignis.

§. XVII.

*Alii Cardinales Gregorii.*

**D**ie Mercurii 19 Septembris Papa Gregorius Senis novem creavit Cardinales novos. Primus erat Ludovicus Bonetus Juris utriusque Doctor, & Archiepiscopus Tarentinus. Agrigenti in Sicilia natus, sed a Neapoli oriundus ex nobili, & antiqua familia ætatem juvenilem nondum excefferat, cum archiepiscopatum Panormi obtinuit anno 1383. Sed a Rege Martino anno 1391 inde pulsus Romam ad Bonifacium IX se contulit. Anno 1395 Archiepiscopus Antibarinus in

*Rayn. n. 59.*  
*Ughel. to. 3.*  
*p. 550.*

in Albania, sequente anno Theffalonicen-  
 sis, dein Episcopus Bergami renunciatus  
 non huc venit unquam; neque Pisas, qua-  
 rum archiepiscopatum tenuit ab anno  
 1400 usque ad 1406: tunc enim Taren-  
 tum invitus, ab Innocentio VII transla-  
 tus est. Hanc tamen sextam, & ulti-  
 mam sedem suam nunquam adiit: nam  
 ab Innocentio ad Regem Ladislaum mis-  
 sus Nuncius apud eum mansit sub Grego-  
 rio XII, a quo appellatus est Cardinalis  
 Presbyter de S. Maria trans Tiberim.  
 Tam facile tum transferebantur Præsu-  
 les: tam parum in locis residebant suis.

Sæcul. XV.

A. C. 1408.

Ughell. to. 1.

p. 132.

Alter Cardinalis fuit Angelus Reci-  
 netinus Episcopus beneficio Urbani VI,  
 sub quo jus *Spolii* collegerat in Marchia  
 Anconitana. Servare administrationem  
 sui episcopatus ei licuit, cum designatus  
 est Cardinalis Presbyter de S. Stephano  
 in monte Cælio. Tertius, Angelus Bar-  
 baricus Nobilis Venetus Papæ Gregorii  
 nepos, anno 1406 per Innocentium VII  
 Episcopus Veronensis dictus rogante Ve-  
 neto Duce, cui Antistes prior suspectus  
 erat. Abdicavit sedem suam Barbari-  
 cus, quando nuncupatus est Cardinalis  
 Presbyter de SS. Petro, & Marcellino.

Id. to. 5.

p. 912.

Quartus, Bandellus Bandellius Lucensis,  
 primum Tiferni Tiberini Episcopus, ab  
 anno 1388 Collector *Spolii* in Umbria, &  
 Hetruria, anno 1407 Ariminum trans-  
 latus,

Id. to. 6.

p. 237.

to. 2. p. 435.

Sæcul. XV. latus, modo Cardinalis Presbyter de S.  
A.C. 1480. Balbina.

Godwin.  
p. 356.

Rayn. 1408.  
n. 39.

Ughell to. 3.  
p. 333.

Quintus, Philippus Repindonus seu Repingtonus Anglus Lecestriæ Canonicus Regularis, & Abbas Theologiæ Doctor, anno 1400 Universitatis Oxoniensis Cancellarius, anno 1405 Episcopus Lindensis factus, modo Cardinalis Presbyter de SS. Nereo, & Achilleo. Tenuerant eum aliquamdiu errores Wicleffii: sed hos publice recantaverat ante suum episcopatum. Sextus, Matthæus Wormatiensis Episcopus, Polonus Cracovianatus, qui Universitatum Parisinæ, ac Pragensis Rector fuerat. Imperatoris Ruperti Legatum agebat apud Gregorium, dum nominatus est Cardinalis Presbyter de S. Cyriaco. Septimus, Lucas Manzolius Florentinus ex Ordine Humiliatorum vir doctus, probusque, cum monasterii sui Abbas esset, declaratus Fæsulanus Episcopus simul, & Cardinalis Presbyter de S. Laurentio in Lucina. Gregorius eum etiam Legati sui munere in Hetruria fungi voluit, ita sustinere labantem auctoritatem suam studens. Legationis litteras dedit sexto Calendas Novembres. Octavus, Vincentius Rivisius Hispanus Doctor Juris, & ab anno 1394 Prior inclyti cœnobii Montis Servati, Martini Arragonum Regis Legatus apud Gregorium, Cardinalis Presbyter de

de S. Anastasia. Nonus, Petrus Moro-  
 finus Nobilis Venetus, ac celebrer Juris-  
 consultus, Cardinalis Diaconus de S. Ma-  
 ria in Cosmedin.

§. XVIII.

*Cardinales Benedicti.*

Benedictus 23 Julii delatus Perpinia-  
 num, & adeuntis se Regis Navarræ *Indic. Ar-*  
 Caroli officiosa salutatione inibi honora- *rag. p. 276.*  
 tus Cardinales se relicto Pisas profectos  
 supplendi gratia die sabbati 22 Septembris  
 ibidem quinque creavit novos. Primus  
 fuit Joannes Armeniacus Comitis Joan-  
 nis III filius haud legitimus, & frater Ber-  
 nardi rei bellicæ summi in Gallia Præfe-  
 cti. A Clemente anno 1391 Administra-  
 tor archiepiscopatus Auscensis, & a Be- *Gall. Chr.*  
 nedicto post mortem Guilielmi Viennen- *to. I. p. 112.*  
 sis anno 1406 obitam Archiepiscopus Ro-  
 thomagensis decretus fuerat. Sed eo-  
 dem tempore lata pro Ludovico Comitis  
 Harcurtii filio suffragia Canonicorum Ro-  
 thomagensium anno 1408 confirmavit  
 Concilium Parisinum. Joannes Arme-  
 niacus continenter manebat apud Bene- *Pomer. p.*  
 dictum: nec diu sua dignitate nova frui- *541.*  
 tus octava Octoctris eodem anno de-  
 cessit.

Cardinalis secundus erat Petrus Ra-  
 banus, seu Ravatus, an. 1398 factus Epis-  
 copus

Sæcul. XV.  
A. C. 1408.

Gall. Chr.  
p. 698.

copus Pontiofanensis, anno 1404 a Benedicto Romam ad Bonifacium missus, postea translatus ad sedem Tolosanam, etsi jam anno 1401 occupatam a Vitale Castellonovino Tolosate, Præposito ejusdem Ecclesiæ. Schisma inter alia mala effecit, ut illustres Ecclesiæ multæ haberent eodem tempore duos Episcopos, quos crediti duo Papæ, aut diversarum partium Præsules constituerant. Minus cogniti sunt tres reliqui Cardinales, Johannes Martinus Morillus Abbas Montis Arragonii, Carolus Urrius, & Alphonius Carillus.

§. XIX.

*Cardinalium Pisanorum litteræ.*

Rayn. n. 53  
Conc. to. 11.  
p. 2279.

EX altera parte Cardinales Pisis agentes 11 Octobris anno 1408 dabant litteras ad Præsules cum Gregorio Senis commorantes, & ad Ministros ejus, quos nuncupant Auditores controversiarum sacri palatii, & Camerae Apostolicæ; Clericos Camerae, ac sacelli; Correctores, scriptores, & abbreviatores litterarum Apostolicarum, & Camerae poenitentiarie; Procuratores causarum palatii; Præfectum Aulae; Magistros hospitii, & culinæ, clavatores, ostiarios, & cursores.

In epistola sua Cardinales graviter conqueruntur de duobus æmulis, præfertim

fertim de Gregorio; & adjungunt: Cum scirent nos statuisse convocare concilium, duo conciliabula, ut proposito tam salubri obstarent, indixere in diversos dies, ac loca inter se multum distantia, in Pentecosten, & provinciam Aquilejensem, seu Ravennanam alterum, alterum in Calendas Novembres, ac Perpinianum. Constat vero, diversarum partium concilia per tempus, ac locum sic disjuncta non posse gignere, vel parare concordiam, sed potius augere schisma. Denique illis, ad quos scribunt, suadent, quin etiam imperant, ut a Gregorio ad ipsos desciscant, & Pisas veniant.

Sæcul. XV.  
A. C. 1408.

## §. XX.

*Concilium Parisiense.*

Interim concilium Parisiis mense Augusto coeptum continuabatur; & 20<sup>o</sup> Octobris rei examen sedulum ibi declarati sunt defensores, complices, fautoresque Petri Lunii schismatici, ac hæretici. Sic autem illi nominabantur: Joannes se dicens Auscitanum Archiepiscopum; Petrus se perhibens Episcopum Pontiofanensem; Joannes antea Cabillonius, nunc Mimatensis Episcopus; Tolosanus ad S. Serninum Abbas, modo vocatus Episcopus Condomiensis; Bertrandus Malomontius Vaurensis primum, mox dein Blite-

Spicil. p.

161.  
conc. p. 2520.

Sæcul. XV  
A.C. 1408

Bliteranus Episcopus; Guido Flandrinus lator, ac ex parte author libelli Parisiis exhibiti sub nomine litterarum Universitatis Tolosanæ; Cardinales Aufcensis, Fiescus, & Challandinus; Præpositi Generales Fratrum Prædicatorum, Minorumque.

*Preuv. libert. p.432.*

In eodem concilio per totum tempus, quo durabat, scilicet ab undecimo Augusti usque ad quintum Novembris constituta sunt permulta monita de ratione agendi, quæ tenenda esset Ecclesiæ Gallicæ inter studium neutrius partis. Illa referuntur ad quinque capita præcipua, ut supplerentur ea, quæ Papæ reservabat Jus novum Decreti, ac Decretalium, quod erat solum Jus Canonicum tunc notum Ecclesiæ Latinæ. Primum caput attinet ad absolutionem a noxis, & censuris Papæ reservatis, quam cupienti per Concilium licet confugere ad Pœnitentiarium Summæ Sedis: si hunc adire nequeat, jubetur accedere ad suum Episcopum. Alterum contingit laxamenta legum. Si agatur de matrimonio, petitor ad Concilium provinciale, sed ad sacra ministeria inhabilis pariter ad Pœnitentiarium, aut Episcopum mittitur. Legum gratias a Petro Lunio ante promulgatum neutrius partis studium factas confirmat id Concilium.

Ter-

Tertium spectat ad justitiam admini-  
 strandam: Archiepiscopi quotannis suum  
 concilium provinciale habebunt; & huic  
 aderunt ipsi cum suis Suffraganeis, cæte-  
 risque interesse illi solitis. Legitime im-  
 pediti suis sumptibus eo mittent Procura-  
 tores sufficiente potestate præditos. Si  
 Archiepiscopus recuset, aut differat con-  
 vocationem concilii, ex Suffraganeis ille,  
 qui primum in provincia tenebit locum,  
 id convocabit, eique præsidebit. Quod-  
 vis concilium provinciale uno saltem men-  
 se durabit. Qui comparebunt quanquam  
 æquo pauciores, poterunt peragere con-  
 ciliium, ac æqua ibi statuere in absentia  
 reliquorum. Monachi Benedictini, &  
 Canonici Regulares in posterum sua co-  
 mitia provincialia ex præscripto Juris ce-  
 lebrabunt: & Concilium istud mittet, qui  
 prima comitia convocent, ac hic præsi-  
 deant.

Sæcul. XV.  
 A. C. 1408.

Caput quartum tractat appellationes:  
 Qui provocabunt, gradatim hoc facient,  
 & ab Archidiacono ad Episcopum, ab hoc  
 ad Archiepiscopum, ab isto ad Primate[m],  
 si quis dabitur, sin minus, ad provinciale  
 Concilium appellabunt. Qui anathema-  
 te devinctus appellat a Judice non ha-  
 bente superiorem; ac provincialis conci-  
 lii celebrationem expectat, potest per cau-  
 tionem absolvi ab Episcopo provinciæ, qui  
 Collegis prior dignitatem obtinuit suam.

*Hist. Eccles. Tom. XXIV.*

Ss

Si

Sæcul. XV.

A. C. 1408.

Si quis appellat ab illo, qui jurisdictionem in exemptos habet, & a quo appellare ad Summam Sedem pro more deberet, provocabit ad provinciale Concilium. Causas Monachorum Cluniacensium, cæterorumque Ordinum peculiare caput habentium, generalia, quæ quotannis obeuntur, comitia decident, sicut id ageret Suprema Sedes. Generatim præcipitur, ut in hujusmodi actionibus Concilium provinciale Summæ Sedis auctoritatem exerceat.

Postremum caput versatur in collatione beneficiorum: Præsules eligentur secundum regulas Juris, sine violentia, vel alia molitione hominum profanorum. Quando agetur de Archiepiscopo, aliove Præsule non habente superiorem, provinciale Concilium causæ cognitionem capiet, ac electum, si opus erit, confirmabit. Interea dum expectabitur concilium, Episcopus primum in provincia locum tenens necessario facienda faciet: quæ postea referet ad Concilium. Reliqua beneficia omnia conferent proprii locorum Episcopi. In albo Universitatis Religiosi secularium, instar nominabuntur, ut illis beneficia regularia tribuant Abbates congregati. Dignitates, personatus, ut vocantur, cæteraque beneficia suffragiis obnoxia relinquuntur Collegiis hæc ferre solitis. Ut vitentur fraudes illorum,

lorum, qui se albis plurium Universita-  
 tum, vel Principum inferendos curare  
 possent; is, qui hoc fecerit, intra mensis  
 spatium ex albis unum deliget, alioquin  
 omni nominatione privandus. Benefi-  
 cia non conferentur nisi partis neutrius  
 studiosis. Hæc sunt, quæ mihi viden-  
 tur ponderosiora in isto Concilii Parisien-  
 sis decreto: ubi maxime noto agnitam  
 necessitatem, utilitatemque conciliorum  
 provincialium.

Sæcul. XV.  
 A. C. 1408.

§. XXI.

*Perpinianense concilium.*

Festo Sanctorum Omnium die Benedi-  
 ctus Perpiniani suum concilium so-  
 lemniissime incepit. Conventus erat fre-  
 quentissimus, & cum ille sacrificasset;  
 Alphonsus Exea Constantinopolis Patriar-  
 cha, & Hispalensis Ecclesiæ Administra-  
 tor elegantem dixit orationem: tum in  
 gratiam absentium sessio dilata fuit in de-  
 cimum quintum Novembris. Duodeci-  
 mo Benedictus Custodem thesauri Maga-  
 lonensis Ecclesiæ, & Aftanæ Procurato-  
 rem dixit Patriarcham Antiochenum.  
 Franciscum vero Chimenium ex Ordine  
 Minorum Gerundæ in Catalonia natum,  
 virtute, ac doctrina conspicuum renuncia-  
 vit Hierosolymæ Patriarcham. Utrum-  
 que consecravit Cardinalis Joannes Arme-  
 niacus.

*Indic. Ar-  
 rag. p. 277.  
 conc. p. 2110.*

*V. Vading.  
 scrip. p. 140.*

Sæcul. XV.  
A.C. 1408.

Concilii Perpinianensis sessio prima fuit 15 Novembris; altera die sabbati decimo septimo mensis hujus. Ibi post sermonem recitata est professio fidei, quam se tenere firmiter aiebat Benedictus. Die Mercurii 21 Novembris in sessione tertia enarrata fuit series Benedicti actorum a suscepto pontificatu, laborumque pro Ecclesiæ pace sumptorum: atque relatio continuata est per quinque alias sessiones. Concilio huic intererant omnes fere Præsules Castellæ, Arragoniæ, Navarræ, Provinciæ, Vasconiæ, ac Sabaudia, omnino centum viginti circiter. Memorantur ibidem inter alios Alexandrinus Patriarcha, Petrus Lunius Toletus, Garcia Ferdinandus Heredia Cæsar-Augustæ, ac Petrus Zagarriga Tarracensis Archiepiscopi.

## §. XXII.

*Comitia Francofordiana.*

Interim Papa Gregorius transacto Senis trimestri spatio Ariminum delatus ibi hyemem traduxit. Inde in Germaniam ut Legatum misit Antonium Corrarium nepotem suum Cardinalem Episcopum Portuensæ, qui Rupertum Romanorum Regem hortaretur, ut neminem ad concilium Pisanum mitteret. Legationis litteras dedit 13 Dec. 1408. Sed & Cardinales

Th. Niem.  
l. 3. c. 36.

Rayn. n. 60.

nales Pisani miserunt in Germaniam Car-  
 dinalem Barianum Landolfum Maramau-  
 rum; qui Francofordiam advenit sub fe-  
 stum diem Regum, nempe in principio an-  
 ni 1409. In cunctis Germaniæ locis, quæ  
 transibat, a Clero, ac populo perhonorifice  
 acceptus Francofurti comitiis inter-  
 erat.

Aderant ibi Rex Rupertus cum suo  
 consilio, Archiepiscopi Moguntinus, &  
 Coloniensis, Henricus Brunsvici Dux,  
 Hermannus Hassiæ Comes Provincialis,  
 Fridericus Misniæ Comes tuendis Impe-  
 rii limitibus præfectus, ac Fridericus Ca-  
 stellanus Norimbergæ Comes, multi E-  
 piscopi, Abbates, Comites, Barones,  
 aliique Domini, Legati Franciæ, An-  
 gliæ, multarumque aliarum Regionum.  
 Ecclesiæ pax erat argumentum comitio-  
 rum, quæ sex diebus duraverant; cum  
 Papæ Gregorii Legatus eo advenit. Pa-  
 rum honorabatur; quia dicebatur venisse  
 turbaturus concordiam: quod eum popu-  
 lo exosum reddidit. At Rex Rupertus  
 eum per vias tuto ducendum curavit, &  
 magnopere coluit. Legatus Regi, &  
 quibusdam Principibus longo, ac mole-  
 sto sermone Gregorii modum agendi pro-  
 bare studuit; atque in Cardinales Pifa-  
 nos, Legatumque illorum Cardinalem Ba-  
 rianum contumeliosa, & mali exempli  
 verba protulit: nam actio erat publica.

Sæcul. XV.  
A. C. 1409.

Quæ res vehementer displicuit Principibus, cæterisque præsentibus, Rege forsitan, & comitatu ejus exceptis. Biduo post hic Princeps abiit: pariterque reliqui paulatim suas redierunt domos.

Decretum in comitiis est, ut Rex, Archiepiscopi Moguntinus, & Colonienfis, ac Misniæ Marchio in Italiam suos quisque Legatos mitterent concordiam curaturos. Rex Rupertus Legatum Antonium Corrarium secum Heidelbergam ductum ibi diu retinuit, ei sumptus suppeditans: verbo: Gregorii partibus totus addictus perstitit. Francofurti quoque non audierat consilia Principum, Præsulumque contendentium, curam in pace ponendam esse, atque Gregorium modis omnibus eo impellendum. Postea suos in Italiam Legatos misit, nempe Archiepiscopum Rigæ, ac Wormatiæ, Verdæque Episcopos: qui primo ad Papam Gregorium profecti longo apud eum tempore hærebant. Episcopus Wormatiæ oblatam sibi ab eodem purpuram recusavit, fortasse metuens, ne, si acciperet, alius ipsi Episcopus substitueretur.

## §. XXIII.

*Concilium Pisanum.*

Initium concilii Pisani factum est præfixo die 25 Martii anno 1409. Aderant

rant multi Cardinales, Episcopi, Abbates, Theologiae, ac Juris Doctores, Oratoresque multorum Praesulum absentium. Instituta primum solemnes supplicationes publicae: Cardinalis Thurius in cathedrali templo peragebat sacrum: & Cardinalis Mediolanensis Petrus Cretensis patria orationem habebat. Post preces congruas duo Cardinales Diaconi, Archiepiscopi pariter duo, & totidem Episcopi multis cum Doctoribus, & Notariis ad templi portam contenta voce rogabant, an Petrus Lunius, & Angelus Corrarius, qui se dicerent Papas, adessent, aut quisquam pro eis alius? Nemine respondente reversi hoc referebant ad Concilium: quod constituit Promotores Ecclesiae totius nomine facturos omnia, quae opus essent, aut expedirent ad extinguendum schisma. Delecti sunt Advocati, & Notarii, qui causam persequerentur. Tum Promotores postulabant, ut duo aemuli censerentur contumaces in materia schismatis, ac fidei. Sed Concilium ex benignitate id distulit in sessionem die proxima futuram.

Hac die 26 Martii accersitis rursus, *Sess. 2. 3.*  
& accusatis aemulis causa prorogata fuit in diem sabbati ante Ramalia trigesimam illius mensis: qua Concilium sententiam pronuntiabat per os Cardinalis Pictaviensis Guidonis Malesii Episcopi Praenestini,

Sæcul. XV.

A C. 1409

ac duos æmulos Petrum Lunium, & Angelum Corrarium ter citatos ob desertum vadimonium contumaces declarabat; procedendum ultra, & actionem contra eos instituendam; sessionem quartam fore die lunæ post Dominicam *Quasi modo*. Ita concilium non interruptum est nisi per hebdomadam sanctam, & posteram.

## §. XXIV.

*Legatio Regis Romanorum.*

Interim Pisas advenerant Legati Regis Romanorum Ruperti Bavari, Joannes Archiepiscopus Rigensis, Matthæus Wormatiæ Antistes, Udalricus electus Verdenæ Episcopus, & Conradus Sufatus Canonicus Spirensis. Die lunæ 15 Aprilis Concilium eis aures præbebat. Verdenis Episcopus omnium Legatorum nomine loquens & dubitanti similis contra convocationem concilii multas difficultates, & materias ibi tractandas proponebat. Facta est Legatis promissio responsionis reddendæ in proxima sessione die Mercurii 24 Aprilis. At cum difficultates suas litteris mandatas Concilio tradidissent, die altero nemine salutato Pisis abierunt.

Difficultates eorum continebantur tribus capitibus, convocatione duorum æmulorum, recusatione obedientiæ, atque

*Sess. 4. p.*  
2119. 2164.  
*Spic. p. 261.*

que conjunctione Cardinalium e duobus <sup>Sæcul. XV.</sup>  
collegiis. Erant vero potius tricæ, quam <sup>A. C. 1469.</sup>  
difficultates solidæ: ut jam tum ostendit  
quidam scriptor incerti nominis ad eas  
articulatim respondens. Imperator Ru-  
pertus, aut potius Papa Gregorius sub  
ejus nomine volebat monstrare contradi-  
ctionem in diversis diebus obedientiæ re-  
cusationi appositis, suscepti consilii tem-  
pus non distinguens a tempore executio-  
nis. Imperator ita quærebat: Quando  
Gregorius desit esse Papa? Reponeba-  
tur: Tum, cum per suam agendi rationem  
se aperte declaravit schismaticum, ac hæ-  
reticum: ex illo tempore nos ab eo sejun-  
gere coacti fuimus, ne fautores schisma-  
tis essemus: quanquam alius Papa eligi  
haud potest, nisi post sententiam damna-  
tionis.

Quod attinet ad convocationem con- <sup>p. 1268. E.</sup>  
cilii, Imperator iterum altercabatur de  
die adscripto litteris illud indicentibus.  
Addebat: Convocatio concilii ad Papam  
pertinet: & aliquod indixit; quantum  
in ipso fuit. Respondebatur: Manifesto  
patet, convocationem a Gregorio factam  
tendere ad impediendum concilium ge-  
nerale. Igitur ejus loco, & in tanta ne-  
cessitate concilium Cardinales indicare  
debeant; & tum quoque debuissent, si  
Papa fuisset certus, ac extra controver-  
siam positus: quin etiam eorum loco Cle-

Sæcul. XV.  
A. C. 1409.

rus id Romanus potuisset agere. *Imperator*: Si dubitant, an Gregorius sit Papa: cur non etiam dubitant, an ipsi sint Cardinales? *Responsio*: Quia dubium contingens Papam venit ex causa nova; inde nimirum, quod ille factus sit schismaticus: aliter se habet res Cardinalium.

Obj. 17.

*Imperator*: Plerique Præsules Pisis agentes sunt partium Gregorio adversarum, quas hic semper habuit pro schismaticis: reliqui denegarunt ei obedientiam, & contra eum faciunt. Itaque non possunt ejus esse Judices; nec is se illis citantibus sistere tenetur. *Responsio*: Qui neutri parti student, aut obtemperant, ad judicium ferendum in hac schismatis materia sunt aptiores, quam ii, qui firmiterstant ab altero æmulum. Et neutrum partium studiosi non censendi sunt inimici, vel adversarii: quia obedientiae recusatio facta est illorum vitio, qui citati fuerunt, & accusati.

Obj. 19.

*Imperator*: Cardinales non habent jurisdictionem in illos, quos citant; nedum in concilium: proinde non pertinet ad Cardinales concilii convocatio. *Responsio*: Quando concilio est opus, ut in casu præsentis, ac Papa id convocare renuit, aut nequit, veluti tum, si desiperet; ex Jure certum est, Cardinales id convocare posse: neque necessario subjectum auctoritati convocantis est concilium. Pre-  
vin-

vinciale est superius Archiepiscopo, qui hoc indixit. *Imperator*: Si Gregorius veniret Pisas, ac Benedictus huc non veniret, num ille deberet dignitatem deponere? Nam Benedictus posset dicere: Nunc solus sum Papa; nec æmulum habeo: cur petitis, ut cedam? *Responsio*: Cupimus præstari promissum cessionis ab utraque parte firmatum jurejurando.

*Imperator*: Præstituta concilio dies pro magna parte fautorum Gregorii est propinqua nimium propter locorum distantiam. *Responsio*: Negotii momentum, & celeritas, quam illud poscit ad vitanda pericula in dies augescencia, suaserunt, ut statueretur dies, quam proxima præfigi prudenter posset. *Imperator*: Quod ad conjunctionem Collegiorum attinet; Cardinales alteri sunt veri, alteri commentitii. Quomodo veri falsos reddere habiles, censuris, ac legibus exsolvere, denique Cardinales facere potuerunt? *Responsio*: In præsentem casum licet agere cum proscriptis, & schismaticis sine horum absoluteione, aut restitutione in integrum: ac electores sibi possunt asciscere alios eligendi jure carentes.

*Imperatoris Legati* propositis difficultatibus suis illius nomine orabant concilii Pisani Patres, ut certum diem, locumque constituerent, quo iterum convenirent; atque si Gregorius tunc ibi non compareret,

Secul. XV.  
A.C. 1409.

Obj. 21.

Obj. 23.

p. 2171. C.

Sæcul. XV.

A. C. 1409.

l. 3. /chi/m.

c. 39.

reret, nec suo cedendi promisso staret, Pa-  
 pam unicum eligerent. Sic autem ma-  
 chinam commoliebantur, inquit Theodo-  
 ricus Niemijs. Erat æstas, & calor: ut  
 tum esse solet, præsertim in Italia. Pisis  
 exterorum multitudo ingens dabatur: &  
 plerique pro se ac suis mari secum procul  
 advexerant subsidia vitæ ad tempus, quo  
 ibi hærerent. Non equos, non mulos ha-  
 bebant, quibus alio transveherentur: &  
 multi, maxime Cardinales senio, & infir-  
 mitatibus confecti erant. Præterea Be-  
 nedicto denuo e Catalonia evocando di-  
 latio congruens fuisset danda: & interim  
 ii, qui ad concilium jam advenerant, abi-  
 issent, forte nunquam redituri, quippe tam  
 diuturnæ commorationis sumptui feren-  
 do impares. Soli fere Cardinales reman-  
 sissent, & incerti quidem, an Benedictus  
 veniret. Denique nullus effectus verus  
 Ecclesiæ pacem contingens ad exitum  
 adductus esset.

## §. XXV.

*Appellatio Legatorum Regis Ru-  
perti.*

Imperatoris Legati postquam statuerant  
 non expectato Concilii Pisani responso  
 discedere; antequam id agerent, confe-  
 cerunt provocationis litteras sub nomine  
 unius e suo numero, nempe Conradi Su-  
 fatii

Rayn. 1409.

n. 19. 29. Esc.

fatii Canonici Spirensis, ac Theologiae Saecul. XV.  
 Doctoris, qui 16 Aprilis libellum difficul- A. C. 1409.  
 tatum exhibuerat. In litteris primum Conc. p. 2239  
 purgatur Gregorii modus agendi, ac fere  
 repetuntur eadem difficultates, & que-  
 rimoniae de Cardinalibus ejus: at semper  
 ibi vocantur *olim* Cardinales, quasi digni-  
 tatem amiserint, cum illum deseruissent.  
 Longissimae sunt litterae: quarum in fine  
 Conradus ut Imperatoris Procurator pro-  
 vocat ad Christum Dominum, & Conci-  
 lium generale legitime convocandum.  
 Dabantur Pisis 19 Aprilis anno 1409 in p. 2248.  
 Dominicanorum templo S. Catharinae di-  
 cato. Die Dominica 21 ejusdem mensis  
 Legati reliquere urbem.

## §. XXVI.

*Aemulorum facta exponuntur.*

Quinta Concilii Pisani sessio fuit die  
 Mercurii 24 Aprilis. Promotor  
 per Advocatum Concilii puncta factorum  
 aemuli utriusque proponens postulabat, ut,  
 quamvis manifesta haec essent, interroga-  
 rentur testes, quo clarius res liqueret.  
 Statutum id fuit; & proxima sessio indi- p. 2119.  
 cta in diem Martis ultimum Aprilis. Fa- 2172.  
 ctorum puncta proposita in hac sessione  
 quinta erant triginta septem, atque con-  
 tinebant totam schismatis historiam, qua- Spis. p. 274.  
 lem retuli, fusiolem tamen, usque ab ele-  
 ctioni-

Sæcul. XV.  
A. C. 1409.

tionibus Benedicti, & Gregorii; ut apparerent eorum variationes, mala fides, & collusio; utque constaret, omnem illorum agendi rationem tendere ad perpetuandum schisma.

## §. XXVII.

*Sessiones sexta, septima, & octava.*

Postremo Aprilis erat sessio sexta, & audiebantur septem Legati Angliæ, ac inter hos duo Episcopi, qui reliquis præerant, Robertus Halemus Salesburanus, ac Henricus Davidifanensis. Prior nomine cunctorum loquens Concilium ad æquabilem juris rationem tenendam hortabatur, & asserbat, se Collegasque suos sufficientem habere potestatem persequendi negotium pacis, consentiendique in omnia, quæ per Concilium sancirentur. Hic videmus Angliam Gregorio non studuisse amplius: quod etiam patet e quadam Regis Henrici epistola, qua illum monet, ut juramentum observet suum, nec præbeat ansam credendi, per se stetit se, quo minus renovata esset concordia.

*Valsing.*  
*p. 378.*

Sessio septima fuit die Sabbati quarto Nonas Majas. Tum Petrus Ancaranus celeberrimus Bononiæ Doctor ad difficultates a Legatis Imperatoris propositas respondere, demonstrans eas infirmas esse, ac frivolas, & solum tendere ad impedi-

diendam pacem ecclesiasticam. Dein le-  
gebantur nomina illorum, qui e qualibet  
regione delecti fuerant ad percontandos  
testes, ac discutienda scripta, quæ indi-  
carent pervulgatam factorum notitiam in  
fessione quinta propositorum: moxque  
Concilium illis mandatum dedit, tabulis  
authenticis consignatum. Decrevit etiam  
ad Regem Ladislaum mittere, qui suade-  
rent, ne obstaret ipsi, sed ea, quæ consti-  
tuerentur, observaret.

Sæcul. XV.  
A. C. 1409.

Octava sessio erat die Veneris 10 Maji. *Concil. pag.*  
Promotoris impulsu decisum fuit, conjun- *2120. 2195.*  
ctionem Cardinalium utriusque collegii  
bene ac rite factam esse; potuisse illos  
convocare concilium Ecclesiæ universæ,  
in hoc eam satis repræsentari; id conve-  
nisse in locum tutum, & congruentem si-  
bi; & habere potestatem cognoscendæ,  
& dijudicandæ totius causæ præsentis,  
utpote hac ex parte nemini in terra ob-  
noxium. Hæc solemniter pronunciata  
sunt per os Patriarchæ Alexandrini. Duo  
Episcopi Salesburanus, ac Ebroicensis ne-  
gabant Collegia conjungi posse, quamdiu  
Benedicto Cardinales sui obtemperarent;  
sicut etiam tum facerent. Multa in hanc  
rem dicebantur. Tandem Promotor con-  
scenso pulpito petebat, ut Concilium de-  
clararet, ex eo tempore, quo duo æmuli  
clare monstrassent se nolle Ecclesiam pa-  
care per cessionem juratam, potuisse  
quem-

Sæcul. XV.  
A. C. 1409.

quemlibet ac debuisse illis denegare obedientiam. Opponebant se duo Episcopi, Anglus alter, alter Germanus: sed Concilium ferebat sententiam ad mentem Promotoris; & addebat, neminem non debere in posterum iussa illorum abnuere.

§. XXVIII.

*Sessiones nona, decima, & undecima.*

Post dies octo, nimirum 17. Maji fuit sessio nona. Alexandrinus Patriarcha legebat publice sessionis ultimæ decretum de recusanda obedientia; & adjungebat, Cardinales, cæterosque Præfules hanc ad causam adhibitos ut testes fore tamen Judices; & cognitores proposita factorum puncta explicare, & addere nova, prout censuerint. Sessio proxima indicta fuit in diem Mercurii 22. Maji.

p. 2122.  
2197.

Hoc die in sessione decima Promotor per Concilii Advocatum dicebat Cardinales Laudensem, seniore[m] de S. Angelo, ac reliquos Cognitores auditorum testium verba per Concilii notarios scribenda curasse, ita, ut essent parati ad ea referenda per unum e suo numero, nempe per Pisanum Archiepiscopum Alemannum Adimarum. Cum ad se referri ea iussisset Concilium, Advocatus poscebat, ut duo æmuli accerferentur ad audiendam denun-

denunciationem testium. Factum id est Sæcul. XV.  
A.C. 1409.  
ad templi portam ritus gratia.

Postea Pisanus Archiepiscopus in suggestum ascendit cum notario ad informationum promulgationem a Cognitoribus sic præscriptam: Notarius leget alia ex aliis factorum puncta; & unicuique Archiepiscopus adjunget testes ad id firmandum productos, quorum qualitates, ac numerum memorabit. Recitabat igitur notarius in hac sessione viginti puncta; & post quodlibet trahebat moram aliquam: tum Archiepiscopus aiebat: Hoc punctum constat per testes quindecim, e quibus quatuor sunt Cardinales, unus Patriarcha, quinque Episcopi, quatuor Doctores insigniti, & unus designatus: interdum numerabat testes decem, aut viginti, modo plures, modo pauciores: nullum tamen punctum non communitum erat saltem quinque testibus idoneis. Cum discessum suaderet hora, Concilium imperavit, ut hic actus postridie continuaretur.

Igitur 23 Maji erat sessio undecima, in qua referebantur septendecim puncta reliqua, pauculaque alia iis adjuncta. Post hæc Ecclesiæ Advocatus e pulpito petebat, ut facta omnia his punctis comprehensa declararentur vera, publica, & evidentiâ: qua de re proximo die sabbati 25 Maji pridie Pentecosten deliberatum.

*Hist. Eccles. Tom. XXIV. T t tum*

Sæcul. XV. tum iri asseruit Concilii nomine Pifanus  
 A. C. 1409. Archiepiscopus.

## §. XXIX.

*Sessiones duodecima, decima tertia,  
 & decima quarta.*

**E**o die in sessione duodecima Patriarcha Alexandrinus solemniter edixit Concilii decretum de pervulgata factorum notitia contra Benedictum, & Gregorium prolatorum. Deinde Concilium Cognitoribus jam munere perfunctis datam antea potestatem retexuit; sed contingentem scripta, vel facta, quæ recens forsitan producerentur, prorogavit usque ad pronunciationem sententiæ.

*Osee. I.  
 v. II.*

Die Mercurii 29 Maji fuit sessio decima tertia; in qua clarus Theologiæ Doctor Petrus Plaulius orationem habebat illis inceptam Osee verbis: *Congregabuntur filii Juda, & filii Israël pariter, & ponent sibi met caput unum.* Extollebat summe dignitatem Ecclesiæ, quam Papâ superiorem dicebat. Tum significabat ab Universitate Parisina Petrum Lunium censerî schismaticum, contamacem, ac hæreticum, etiamsi hæresis spectetur in sensu proprio; atque ideo excludendum Ecclesia, & gradu dejiciendum. Sic opinari etiam Universitates Juliomagi, Aureliæ, ac Tolosæ. Petro descendenti de pul-

pulpito succedens Episcopus Novarinus <sup>Sæcul. XV.</sup>  
 de papyro legebat ita existimare centum <sup>A. C. 1409.</sup>  
 tres Theologiæ Doctores insignitos, plu-  
 rimos designatos, multos post decem an-  
 norum studium prima donatos laurea, na-  
 tione diversos, modo præsentis in con-  
 cilio, denique Universitates Bononien-  
 sem, ac Florentinam.

Decima quarta sessio erat die sabbati  
 1 Junii, qua ut anxia religione affectis fa-  
 tisfieret, Archiepiscopus Pisanus summa-  
 tim retulit indicia veritatis factorum,  
 quæ declarata erant evidentiæ: & addi-  
 dit, proximis diebus lunæ ac Martis apud  
 Carmelitas verba testium monstratum iri  
 omnibus, qui ea legere vellent.

## §. XXX.

*Sessio decima quinta. Sententia con-  
 tra æmulos.*

Decima quinta sessio jam indicta in de-  
 cima tertia habebatur die Mercu-  
 rii 5 Junii, pridie solenne augustissimi Sa-  
 cramenti. Ecclesiæ Advocatus e sugge-  
 stu exposuit, priore die Mercurii postre-  
 mam citationem æmulorum, ut senten-  
 tiam decretoriam audirent, sancitam esse,  
 ac executioni datam per tabulas affixas  
 portis templorum, aliisque locis con-  
 gruentibus. Ideo postulare se, ut Car-  
 dinales, cæterique Præsules ad templi

p. 2126.

T t 2

por-

Secul. XV.  
A. C. 1409.

portam rursus accederent visuri, an se fierent æmuli, vel alii pro eis viri.

Igitur hæc etiam ceremonia iterum fiebat sed incassum, ut sæpius antea. Tandem Patriarcha Alexandrinus Antiochenum inter, ac Hierosolymitanum sedens in suggestu de scripto pronunciabat sententiam, cujus hæc erat summa: Sacrum Concilium universam Ecclesiam representans, cujus est cognoscere, ac decidere hanc causam de schismate, ac Ecclesie concordia, perpensis omnibus, quæ contra Petrum Lunium, & Angelum Corrarium olim nominatos Benedictum XIII, & Gregorium XII producta sunt, ac demonstrata, post sedulam consultationem statuit, ac declarat, cuncta crimina comprehensa libello Patribus per Concilii Promotores tradito vera esse, ac manifesta; & memoratos Angelum Corrarium, ac Petrum Lunium esse schismaticos, contumaces, ac hæreticos, perjurii reos, Ecclesie toti præbentes exempla nequitie, ac nullum correctioni locum relinquentes. Quapropter omni honore, ac dignitate, omni præsidendi, aut imperandi jure se reddiderunt indignos, & ab Ecclesia ipsi se disjunxerunt.

Majoris tamen securitatis gratia Concilium eos privat his cunctis juribus; utrique, ne pro Papa se gerat, interdicit; Romanam Ecclesiam denunciatur vacuam, &

& omnes Christianos, quacun- Sæcul. XV.  
A. C. 1409.  
 que dignitate flo-  
 rant, etiam coronatos Principes  
 ab omni munere parendi eis absolvit ita,  
 ut nullum fidelitatis juramentum, nulla  
 obstet obligatio. Prohibet sub anathe-  
 matis poena, nequis Christianorum alteru-  
 tri obsecundet, faveat, tectum præbeat,  
 opem, aut consilium afferat: atque si huic  
 sententiæ per contemptum non obediant,  
 etiam per potestatem profanam debent  
 reprimi una cum fautoribus, ac sectato-  
 ribus suis. Postea Concilium cunctas  
 æmulatorum actiones, sententias, censu-  
 ras, & creationes Cardinalium ab Ange-  
 lo Corrario post tertium Maji, a Petro Lu-  
 nio post decimum septimum Calendas Ju-  
 lias anni 1408 factas declarat irritas.  
 Hac sententia pronunciata canebatur  
 Hymnus Ambrosii; vetabaturque, ne-  
 quis a Concilio sine permisso abiret.

## §. XXXI.

*Sessiones decima sexta, & decima se-  
 ptima. Legati Arragoniæ.*

Decima sexta sessio fuit die lunæ 10 Ju-  
 nii. Pisanus Archiepiscopus e pul-  
 pito recitabat schedulam, ubi Cardinales  
 loquebantur in hunc fere modum: Spon-  
 demus fore, ut siquis e nostro numero  
 electus in Papam fuerit, is concilium  
 præsens continuet, nec solvi sinat, do-

Sæcul. XV. nec Ecclesia in capite, ac membris suis  
 A. C. 1409. correctâ sit. Si unus e Cardinalibus ab-  
 sentibus, vel alius quisquam Collegio sa-  
 cro non adscriptus cooptabitur, omni cu-  
 rabimus opera, ut idem promissum faciat,  
 priusquam promulgetur electio. Inter-  
 rim approbamus sententiam contra æmu-  
 los, concilii continuationem vacante sum-  
 ma sede, & commotam Ecclesiæ corre-  
 ctionem.

p. 2263.

Huic sessioni aderat Cardinalis Chal-  
 landinus, qui a Petro Lunio defecerat.  
 Concilii Advocatus negabat sufficere pro-  
 nunciationem sententiæ contra æmules,  
 nisi hæc daretur executioni. Itaque po-  
 stulabat, ut Concilium hujus Curatores  
 ubique, aut saltem in regionibus, ubi  
 opus essent, constitueret, istorumque Cu-  
 ratorum nominatio Cardinalibus commit-  
 teretur. Annuit Concilium. Advocatus  
 addebat: Angelus Corriarius sedem  
 suam tenere in territorio Patriarchæ  
 Aquilejensis huic faventis Concilio, nec  
 sine illius damno populum provinciæ ad  
 suas partes adungere conatur. Igitur  
 vobis placeat imperare hujus regionis  
 Optimatibus, Ecclesiæ clientibus fiducia-  
 riis, ut Patriarchæ, non Gregorio morem  
 gerant. Consensum fuit.

Sessione decima septima erat die Jovis  
 13 Junii. Postquam tres Patriarchæ in  
 suggestum ascenderant; Alexandrinus le-  
 gebat

gebat schedulam hujusmodi: Quia du-  
 rante schismate nonnulli Cardinalium  
 præsentium ab æmulis sejunctis creati  
 sunt; & modo eligendus est Papa unicus,  
 certusque: Concilium vult ita creatos  
 pro præsentis rerum conditione ferre suf-  
 fragia; neque novare aliquid, aut Cardi-  
 nalium juri derogare cogitat. Hortatur  
 vero, ut Papam eligant tanta cum chari-  
 tate, & concordia, ut nulla dissidii scia-  
 tilla notari queat.

In eadem sessione comparebant Lega-  
 ti Regis Arragonum, tres Equites, ac Do-  
 ctor, ea lege admissi, ut nihil proferrent,  
 quod offendere Concilium posset. Do-  
 ctor cunctorum nomine sic loquebatur:  
 Arragoniæ Rex edoctus hunc agi con-  
 ventum ad curandam Ecclesiæ pacem si-  
 bi charissimam, id vobis negotium com-  
 mendat; nec impedire vellet ob peculia-  
 re commodum seu Petri Lunii, seu cu-  
 jusquam alterius. Hic Papa cum Con-  
 cilio Perpiniensi decrevit aliqua; quæ,  
 cum posse servire ad concordiam credan-  
 tur, vobis per nos exponi Rex voluit. O-  
 ramus proin ejusdem nomine, ut hac in  
 re nihil novi faciatis, antequam nos au-  
 dieritis. Denique Rex Dominus noster  
 acta concilii vestri nunc quidem approba-  
 re nequit, utpote nondum comperta ha-  
 bens: sed ea doceri cupiens in causa Ec-  
 clesiæ ita gerere se cogitat, ut orbi toti

Sæcul. XV. satisfaciat. Simul acta poscebat Do-  
 A.C. 1409. ctor.

Tum singulis Præsulibus indicabatur ex mente Cardinalium respondendum, Concilium Regi gratias habere pro studio pacis; nominaturum, qui Legatis darent actorum notitiam; designaturum pariter, qui aures præberent Nunciis Petri Lunii, dummodo potestatem exhiberent suam, hos toto a confessu audiri non posse, cum discessum posceret hora; & hæc sessio esset ultima ante ingressum conclavis. Postquam Advocatus id Legatis responsum palam reddiderat; finita fuit sessio.

Postero die Veneris 14 Junii fiebat solemnis supplicatio publica, cui aderant cuncti Præsules, ac totus concilii Clerus. Ihabatur a templo S. Martini ad cathedra-  
 le, ubi Cardinalis Thurius peragebat sa-  
 erum de Spiritu Sancto, ut is collustraret mentes Cardinalium ad eligendum summum Pontificem. Eodem die post prandium Legati Arragoniæ in S. Martini ædem delati cupiebant Petri Lunii Nuncios ex promisso audiri. Qui clamores inter ac sibila, quibus eos potissimum domestici Præsulum consectabantur, per turbam ad fores stantem ægre ingressi templum parum colebantur, cum venissent in locum, ubi tres erant Cardinales auscultandis eis destinati. Legebatur illis sententia contra æmulos pronunciata:  
 &

p. 2129.  
 2206.

& dum Tarraconensis Archiepiscopus Sæcul. XV.  
 Papæ Benedicti XIII Nuncium se dicebat, A. C. 1409.  
 exorto ingenti fremitu vocabatur nuncius  
 schismatici, ac hæretici. Idem accidit  
 Joanni Costio antea Episcopo Mimatensi, &  
 tunc uni e Nunciis. Volebant iterum lo-  
 qui: & admissio eis promissa fuerat in po-  
 sterum sabbatum: at comparere non ausi  
 amplius insalutatis Præsalibus reliquere  
 Pisas.

## §. XXXII.

*Alexander V Papa.*

Eodem die sabbati 15 Junii sub vespe-  
 rum conclave intrarunt Cardinales vi-  
 ginti quatuor Archiepiscopi Pisani hospi-  
 tes. Magno Rhodiorum Magistro com-  
 missa est custodia conclavis: ubi decem  
 diebus integris illi hærebant usque ad  
 diem Mercurii 26 Junii, qua in Papam ele-  
 gerunt Cardinalem Mediolanensem Pe-  
 trum Cretensem patria, qui nominari vo-  
 luit Alexander V.

Natione Græcus, cognomine Philar- Th. Niem.  
 gus in Creta tum Venetis obnoxia tam Hist. l. 3. c. 54.  
 inopes parentes habuit, ut non memine-  
 rit eos sibi fuisse cognitos: sed cum pue-  
 rulus stipem posceret, de pulvere suble-  
 vatum quidam Italus ex Ordine Minorum  
 linguam Latinam docuit. Paulo adultio-  
 rem veste religiosa induit, ad Fratres ad-  
 scripsit suos, & quod egregia præditum  
 indole

Sæcul. XV. indole videret, secum in Italiam duxit:  
 A. C. 1409. ubi amœnioribus litteris imbutus in An-  
 gliam ad Universitatem Oxoniensem mis-  
 sus est. Plures per annos ibi prospero  
 successu eruditus Parisios venit, Philoso-  
 phiæque, ac Theologiæ inibi tamdiu de-  
 dit operam, donec magnus evaderet Do-  
 ctor,

Reversus in Italiam, & Joanni Galea-  
 tio Pro-Comiti Mediolanensium Duci co-  
 gnitus, anno 1386 in ejus gratiam factus  
 Episcopus Placentinus, post biennium  
 Vincentiam, tum Novariam, denique an.  
 1402 Mediolanum translatus ab Innocen-  
 tio VII anno 1405 appellatus est Cardi-  
 nalis Presbyter de duodecim Apostolis.  
 Papa renunciatus archiepiscopatum Me-  
 diolanensem contulit Francisco Creppio  
 sui Ordinis Religioso, ac Ministri Genera-  
 lis Vicario: quem vero ejus possessionem  
 capere nunquam sinebat Joannes Pro-  
 Comes. Papa Alexander septuaginta  
 circiter annos habebat, quando fuit ele-  
 ctus: erat comis, ac liberalis, cibosque  
 lautos cum vino generoso haud parum  
 amabat.

*Ughel. to. 12.*  
*p. 256. to. 4.*  
*p. 362.*

§. XXXIII.

*Sessiones decima octava, & decima  
 nona.*

Die lunæ 1 Julii Concilio in sessione de-  
 cima octava præsidebat ut Pontifex  
 Maxi-

Maximus. Cardinalis Challandinus le- Sæcul. XV.  
 gebat electionis decretum, cui Cardinales A. C. 1409.  
 omnes sua subscripserant nomina, & in conc. p. 2207.  
 quo illum concordissime cooptatum dice-  
 bant. Deinde Balthasar Cossa Cardina-  
 lis Diaconus de S. Eustachio e suggestu  
 promulgabat plures novi Papæ sanctio-  
 nes; scilicet approbationem rerum om-  
 nium per Cardinales a 3 Maji an. 1408  
 statutarum præsertim in concilio; conjun-  
 ctionem Cardinalium utriusque Collegii;  
 absolutionem Cardinalis Challandini diu  
 cum Petro Lunio versati extensam ad  
 cunctos earundem partium Præsules con-  
 cilio, præsentem. Alexander etiam expo-  
 nebat se velle incumbere in Ecclesiæ cor-  
 rectionem expromisso Concilii; ac e qua-  
 libet natione deligendos esse Viros doctos,  
 probosque, qui hac de materia cum Car-  
 dinalibus consultarent.

Sequente Dominica 7 Julii Alexander  
 in cathedrale templo Pisano coronatus est  
 inter ceremonias omnes, quarum memo-  
 ria exstabat. Cremabantur stupæ, ac di-  
 cebantur interim verba: Sic perit mundi  
 gloria. In sacro Evangelium legebatur  
 Græce, Hebraice, ac Latine. Fateor  
 incognitum mihi esse hoc Evangelium  
 Hebraicum, ni Syriacum sit. Papa co-  
 rona triplici, & pontificio amictu ornatus,  
 & cuncti Præsules pro dignitate vestiti sua  
 per equos candidis instratos stragulis so-  
 lemni-

Sæcul. XV. lemmiter & ad pompam circumvehebantur in urbe: ac Judæi librum Legis illi porrigebant.

p. 2133.  
2207.

Decima nona sessio fuit die Mercurii 10 Julii. Florentinorum Pisis dominantium Orator pulpitum conscendit, ac eorum obedientiam Papæ spondebat, cujus electionem laudabat: & mox dein Orator Senarum agebat idem. Tum Cardinalis Challandinus de scheda legebat, Papam retexere cunctas æmulum actiones, sententias, ac censuras, & ab iis per cautionem absolvere. Factæ ab æmulis gratiæ legum ad matrimonia, vel Cameram poenitentiarum spectantes in eadem scheda approbabantur omnes, sed tantum respectu illorum, qui Alexandro morem gererent. Postea idem Cardinalis agebat: Papa Ecclesiam emendare cogitans constituit octo Cardinales, qui cum Procuratoribus Præsulum variis e regionibus videant, quænam sint corrigenda. Demum vigesima sessio indicta fuit in diem lunæ 15 Julii.

p. 2133.  
2209.

Sed in diem Mercurii 24 illius mensis, & amplius in sabbatum dilata fuit ob adventum Regis Siculorum Ludovici Andegavensis, qui ei aderat. Cardinalis Challandinus legebat inibi decretum, quo Papa cum Concilio approbabat cunctas electiones, factasque ab æmulis confirmationes sacrarum dignitatum, & collationes beneficiorum a designatis jam possessorum

rum ante sententiam in æmulos latam. Sæcul. XV.  
A. C. 1409.  
 Causam Genuensis Archiepiscopi Concilium arbitrio Papæ permittebat. Is ratas habebat cunctas collationes dignitatum, ac beneficiorum a designatoribus ordinariis factas tempore denegatæ obedientiæ, aut studii neutrarum partium certis in locis observati. Volebat plecti studiosos etiam tum sectatores Petri Lunii, & Angeli Corrarii.

Demum ob rationes magni ponderis imperabat, ut rursus generale concilium intra triennium, nempe anno 1412 mense Aprili haberetur Pisis, vel in alio congruente loco qui anno priore nominaretur. Tum Pisanus Archiepiscopus contenta voce dicebat, Papam (aderat iste) Ecclesiarum inopia tactum revocare quorundam antecessorum decreta, quibus sibi reservassent spolia mortuorum Præsulum, fructus vacante sede provenientes, ac jura inspectionum. Addebat, Alexandrum etiam remittere pecuniarum reliquias ærario Apostolico debitas ex annuis redditibus beneficiorum vacantium non solutis.

Subjungebat: Cardinales solent accipere dimidios fructus annuos vacantium dignitatum: & inde multum eis adhuc debetur non depensum hætenus. Itaque rogandum censeo sacrum Collegium, ut exemplo Papæ partem remittat suam.

Sæcul. XV. A. C. 1409. suam. Cum assentirent cuncti Præfules, ad Cardinales conversus id omnium nomine precabatur. Nihil tum quidem reponentes orabat iterum, responsumque poscebat. Sic impetrati consensus tabulas postulavit publicas. Duo tantum renebant Cardinales, Neapolitanus, & Albanensis, qui mentem hac de re suam jam exposuerat.

*Ughel. to. 4.* Genuensis Archiepiscopus, cujus mentio hac in sessione fit, erat Pilus Marinus Nobilis Genuensis, Canonicus Patavinus, & Notarius Apostolicus, anno 1402 per Bonifacium IX ad illam euectus sedem.

*Sup. l. 99.*  
*p. 55.*

Anno 1405 Genuam delato Benedicto se suo cum Clero submiserat: ut suo loco dixi: & Cardinalis Ludovicus Fiescus pariter ab Innocentio VII ad Benedictum descivit. At postea Marinus Gregorium cum Benedicto colludere, ac Genuam neutri studere videns in desertum Hetruriæ locum se abdidit. Videtur tamen restitutus in suam dignitatem; cum tanquam Genuæ Archiepiscopus concilio Pisano suum nomen subscripserit.

#### §. XXXIV.

##### *Concilii Pisani exitus.*

Vicesima prima, & ultima Concilii sessio in diem Veneris secundum Augusti indicta, sed in diem Mercurii septimum illius

illius mensis dilata fuit: ac legebatur ibi Sæcul. XV.  
 sanctio in hanc sententiam: Papa ex men- A. C. 1409.  
 te Concilii vetat, ne usque ad proximum  
 concilium Ecclesiæ Romanæ, vel aliarum  
 bona immobilia alienentur, vel oppigno-  
 rentur. Præcipit, ut Metropolitæ sua  
 concilia provincialia, Episcopi suas syno-  
 dos agant ex præscripto Juris, ac ex de-  
 creto concilii generalis, nempe habiti an-  
 no 1215. Monachorum, Canonicorum-  
 que Regularium comitia fient ex manda-  
 to ejusdem concilii, ac ex sanctionibus  
 Honorii III, & Benedicti XII. Papa pro-  
 mittit, neminem invitum a se translatum  
 iri qui non accitus antea, auditusque fue-  
 rit. Ad cunctos Reges, ac Principes  
 mittet Nuncios, qui acta hujus concilii  
 promulgent, ac executioni mandanda cu-  
 rent. Plenam noxarum veniam largitur  
 iis omnibus, qui concilio huic interfue-  
 runt, & adhærent. Denique dimittit  
 omnes usque ad concilium anno 1412  
 celebrandum. Sic finitum est concilium  
 Pisanum.

Fuit hoc frequentissimum. Numera-  
 bantur inibi Cardinales viginti duo, Ar-  
 chiepiscopi decem, Episcopi sexaginta,  
 vel octoginta, Episcoporum absentium  
 Oratores centum, totidem Procuratores  
 Collegiorum, Abbates octoginta, ducer-  
 torumque aliorum Procuratores, Præpo-  
 siti Generales quatuor Ordinum Mendi-  
 cantium,

Sæcul. XV.  
A. C. 1409.

cantium, Universitatis Parisinæ, aliarumque Oratores, Legati Imperatoris Rupertii, Regum Franciæ, Angliæ, ac Poloniæ, multorumque aliorum Principum. Diversa hujus concilii exemplaria recensent plures, vel pauciores Episcopos, ac Procuratores.

Ughell. to. 3.  
p. 212. 553.

Archiepiscopus Pisanus erat Alemannus Adimarus Nobilis Florentinus, celebris Doctor, Florentiæ Canonicus, tum Episcopus, dein Archiepiscopus Tarentinus, demum anno 1406 Pisas translatus ab Innocentio VII, qui ejus antecessorem Ludovicum Bonitum nolentem ad Tarentinam sedem transire jufferat. En exemplum talium translationum, quales Alexander V respuit. Ludovicus Bonitus anno 1408 Cardinalis evasit per Gregorium XII, cui semper addictus mansit.

§. XXXV.

*Concilium Perpinianense.*

Sup. §. 21.  
Conc. p. 211.

Durante concilio Pisano Benedictus peregrinatus Perpiniani habere suum falsum concilium generale coeptum mense Novembri anno 1408. Erat satis numerosum, utpote comprehendens centum viginti Episcopos. Post multas sessiones rogati a Benedicto Præsules, quid pro bono Ecclesiæ agendum esset, contrarias insententias abibant. Quidam volebant Bene-

Benedictum Pisas mittere Legatos, per Sæcul. XV.  
 quos protinus pontificatum deponeret: A. C. 1409.  
 alii rem in longum tempus extrahi cupie-  
 bant. Ob istam opinionum differentiam  
 cuncti fere Præsules Perpiniano discede-  
 bant ita, ut duodeviginti tantum rema-  
 nerent: quorum nomine Alphonfus Ex-  
 ea Constantinopolis Patriarcha honora-  
 rius Benedicto Calendis Februarii anno  
 1409 libellum tradidit. quo ei potissimum  
 suadebant, ut confestim cederet.

Benedictus 26 Martii cum paucis Indic. Ar-  
 Præsulibus, qui restabant, sessionem ha- rag. 1408.  
 buit, Pisasque misit Legatos, scilicet Pe- Th. Niem.,  
 trum Zagarrigam Archiepiscopum Tarra- l. 3. c. 36.  
 conensem, Seguntiaë, Mimatii, & Sanitii  
 Episcopos, ac Bonifacium Ferrerium Car-  
 thusianum Priorem monasterii Cæsaraug-  
 gustani. Sunt vero missi exploratum,  
 quibus conditionibus posset transigi. Sed  
 Archiepiscopus in Catalonia subsistebat  
 Benedicti Legatum acturus apud Regem  
 Galliaë: cæteri Nemausi hærebant de-  
 tenti regiis a Ministris: & interceptæ  
 sunt litteræ, quas illis Benedictus dede-  
 rat. Sic abrupta fuit spes omnis eum  
 adducendi ad sessionem, ac reconcilian-  
 di concordiam Ecclesie.

## §. XXXVI.

*Hist. Ecclesiast. Tom. XXIV.* Uu

Secul. XV.  
A. C. 1409.

§. XXXVI.

*Bonifacius Ferrerius Carthusianus.*

*Boll.* 5. Apr.  
to. 9. p. 484.  
490.

**B**onifacius Ferrerius fratre gaudebat S. Vincentio Ferrerio Ordinis Prædicatorum Viro celeberrimo. Valentiaë in Hispania ex familia veteri, ac parentibus virtute præditis nati fuere. Bonifacius navata Juri utrique opera inter Jurisconsultos sui temporis eminebat, eratque in numero illorum, qui vocabantur Patres jurati, & spectabile in urbe munus obibant. Uxore mortua persuasum fratris sui Vincentii Chartusianorum Ordini nomen dedit in coenobio Valentiaë vicino, quod dicebatur Porta Cæli.

*Marten.*

*Theaur. to.*  
2. p. 1435.

E schismate Ecclesiæ sunt etiam in Ordinibus religiosis orta schismata peculiaria. Quia Chartusia major erat in terra Clementi obnoxia, illius Prior hunc agnovit Papam: & Bonifacius Ferrerius anno 1402 factus ejusdem Prior Benedicto paruit. Interim Joannem Barensem Vicarium Generalem Urbanus VI Carthusianis sibi subjectis præposuit, & comitia Romæ anno 1382 habita agnoverunt. Illius successor tempore concilii Pisani fuit Stephanus Maco, qui post electionem Papæ Alexandri V generalem præfecturam suam abdicavit: quod egit etiam Bonifacius Ferrerius. Benedictus hoc minime probans eum coëgit resumere gubernacula

macula majoris Carthufiæ. Sed tandem Sæcul. XV.  
Benedictum obstinatum videns Bonifa- A. C. 1409.  
cius omnino deseruit.

## §. XXXVII.

*Initia S. Vincentii Ferrerii.*

Vincentius Ferrerius anno 1357 in lu- Boll. p. 479.  
cem editus, ætatis suæ decimo octa- p. 487.  
vo institutum S. Dominici amplexus, post  
sexennium dialecticam, & reliquam phi-  
losophiam tradere cœpit. Ad discendam  
postea Theologiam Barcinonem, tum Her-  
dam missus, Doctoris nomen anno ætatis  
28 obtinuit. Valentiam revocatus ma-  
gnam ibi existimationem collegit; roga-  
tu Episcopi, Canonorum, & Magistra-  
tum Theologiam tum concertatoriam,  
tum divini codicis interpretem sex annis  
palam docuit, ac per idem tempus sacrum  
Oratorem egit, ingente discipulorum, au-  
ditorumque concursu inclytus.

Interim Cardinalis Petrus Lunius Cle-  
mentis Legatus ad Regem Franciæ Ca-  
rolum VI missus Valentiam venit; ac  
Vincentium ex doctrina, & virtute cla-  
rissimum secum in Galliam ductum per  
totum legationis suæ tempus retinuit.  
Deinde in Papam electus eundem Valen-  
tia, quo redierat, Avenionem accitum  
suæ conscientiæ Arbitrum, sacrique pa-  
latii Magistrum constituit anno 1395.

Uu 2

Vin-

Secul. XV.  
A. C. 1409.

p. 480.

Vincentius Avenione tantum biennio commoratus, anno 1396, ætatis suæ 40 Apostolicas expeditiones incepit suas, seu itinera varios ad populos Dei amore inflammandos: ut ipso a Christo Domino iustum se credebatur.

p. 492.

Benedictus, ut Virum detineret, episcopatum ei Valentinum eodem anno vacantem ex obitu Jacobi Arragonii, rubrumque petasum offerebat. Utrumque renuit Vincentius se tantis honoribus indignum ratus, ac Ecclesiæ utiliores spargendo sementem verbi divini, quam hærendo in pontificia curia, quod facere tenebatur ut Cardinalis. Actis proinde Benedicto gratias, ac exposita mente sua ubique concionandi copiam cum munere Legati Apostolici, & amplissima potestate ligandi, solvendi que accepit.

p. 480. n. 10.

Anno 1398 in Cataloniam reversus duobus annis continuis ejus incolarum animos accendit. Anno 1400 Barcinone conscensa nave in Provinciam, inde anno proximo in Pedemontium, & anno 1402 in Delphinatum transit: ubi maximam hæreticorum multitudinem catholicæ religioni reddidit, præsertim in diocesi Ebredunensi. Hinc in Sabaudiam, tum in Germaniam rogatu Episcopi Lausanensis, postea in Lotharingiam se contulit. Anno 1405 Genuam ad Benedictum vocatus spatio mensis circiter  
ibi-

ibidem mansit: deinde totam Genuen-  
fium oram maritimam percurrit.

Sæcul. XV.  
A.C. 1409.

Deinde Galliam usque ad Flandriam  
peragravit semper de rebus divinis verba  
faciens. Ob famam suam Rogatus a Re-  
ge Henrico venit in Angliam, Scotiam, &  
Hiberniam. In Franciam reversus ma-  
nebat aliquamdiu in Vasconia, & apud  
Pictones. Annum 1407 finiit in Arver-  
nia; & Claromontii per hebdomades Do-  
minico Adventui sacras e suggestu ad po-  
pulum dixit. Anni sequentis partem Lug-  
duni, partem Aquis Sextiis egit; ubi ver-  
sabat sub finem Octobris: tum Massiliæ  
se commisit mari Granatense regnum adi-  
turus.

§. XXXVIII.

*Concilium Aquilejense.*

Gregorius quoque anno 1409 habuit <sup>Sup. S. 15:</sup>  
suum concilium, cui Pentecosten <sup>Conc. pag.</sup>  
hujus anni præstituerat per litteras 2 Ju- <sup>3003.</sup>  
lii anno 1408 datas. Indixerat illud in  
provinciam Aquilejensem generatim, nul-  
lum locum singularem nominans. At  
per litteras 19 Decembris scriptas designa-  
vit Austriam prope Utinum in dioecesi A-  
quilejensi sitam: unde factum, ut hodie-  
ni quidam id concilium in Austria Ger-  
maniæ provincia celebratum putent. Ses-  
sio prima erat anniversario augustissimi  
Sacramenti die 6 Junii anno 1409. Tam

Uu 3

pauci

Secul. XV.  
A. C. 1409.

pauci aderant Præsules, ut Gregorius congereretur sessionem alteram differre in vigesimum secundum ejusdem mensis, ac tres Episcopos Venetias mittere, qui provinciae Præsules ad ipsius concilium accerserent, in anathema incursum, nisi parerent. At Veneti de Doctorum sententia Alexandrum V agnoscebant Papam; etsi Gregorius popularis ipsorum erat.

Secunda sessio absolvebatur pronuntiatione sententiae contra Petrum Lunium, ac Petrum Cretensem: aliter enim Concilium haud nominabat Papam Alexandrum: illorum electiones declarabat nullas, & sacrilegas; ipsos autem schismaticos manifestos, ideoque omni dignitate delapsos; & omnia eorundem quasi Paparum acta rescindebat. Hac in sententia consistebat effectus totus concilii: eaque lata Gregorius e dioecesi Aquilejensi quamprimum abiturus die Jovis 5 Septembris anno 1409 ultimam sessionem habuit: ubi promulgabatur scheda, cujus hæc erat summa:

*Th. Niem.*  
*l. 3, c. 46.*

Sanctus pater noster Papa Gregorius XII iterum spondet abdicationem pontificatus; si Petrus Lunius, ac Petrus Cretensis præsentes ipsi eodem in loco de suis juribus existimatis decesserint. Atque ne loci difficultas impediatur Ecclesiae pacem, Ruperto Romanorum, Ladislao Hiero-

Hierosolymæ, ac Sigismundo Hungariæ Regibus jam nunc dat plenam facultatem communi consensu eligendi locum, ac destinandi diem, in quem Papa illuc veniat. Si adversariis hoc non placeat; Papa eis omnium partium dissidentium concilium generale convocandi, hujusque locum deligendi potestatem plenam jam nunc facit, paratus illuc venire ipse, stareque in eo, quod inibi decretum fuerit.

Sæcul. XV.

A. C. 1409.

Hæc scheda iterum nihil erat aliud, quam Gregorii machina, qua concordiam volebat avertere. Constabat enim Sigismundum, & Ladislaum ab annis viginti & amplius inter se capitali odio discrepare. Sigismundus pariter adversabatur Ruperto in locum sui fratris Wenceslai electo Romanorum Regi. Nec minor erat discordia Rupertum inter & Ladislaum hostem Imperii habitum. Sic fucum faciebat Gregorius perhibens hos tres Principes posse ad pacem Ecclesiæ communem conferre operam.

c. 47.

c. 48.

c. 45.

Vide jam, quid eum impulerit ad relinquendum Aquilejense territorium! Specto sibi Patriarchæ Antonio Panciari- no exauthorato suffecerat Episcopum Concordiæ Antonium Pontinum Venetum. Cum illius amotio Venetis displiceret, metuebat Gregorius, ne capiendum se ipsum curarent; exequendo sententiam Concilii Pisani. Igitur e terris eorum

Ughel. to. 5.

p. 131. 335.

U u 4

pro-

Sæcul. XV.

A. C. 1409.

*Th. Niem.*

c. 45.

properabat egredi, Regemque Ladislaum per litteras orabat, ut hoc ipsius iter adjuvaret. Rex ad portum Austriæ vicinum duas ei triremes misit, & armatos quinquaginta circiter, qui eum præsidii causa eo usque comitarentur.

## §. XXXIX.

*Gregorius fugit.*

Postquam advenerant, Gregorius ad abeundum cum eis, quam poterat, occultissime se parabat. At Veneti, quibus res subolebat, quorundam negotiorum se contingentium causa Oratores ad eum miserunt. His ille diem statuit, qua responsum acciperent: sed antea quadam die profanis indutus vestibus primo mane conscenso equo discessit duos inter pedestres comites. Hi, qui per Patriarcham Aquilejensem, aut per Venetos in insidiis collocati erant, illum pro mercatore, aliove laico habitum libere prætervehi sinebant, quod se ob unicum hominem equestrem in apertum conijcere nolent. Sed paulo post exiit ex urbe Paulus Gregorii Camerarius, & arcanus Judex in amictu rubro quasi magnus quidam Præsul, & inter armatos quam plurimos a Rege Ladislao missos. Sequebantur illum etiam mulæ, aliaque jumenta multa Gregorii sarcinas dorso portantia.

Infi-

c. 49.

Insidiatores Paulum esse Gregorium  
 ipsum rati incitatis equis approperant: Sæcul. XV.  
A. C. 1409.  
 comites illius cunctos, ipsaque jumenta  
 capiunt: Paulum non esse Papam, quan-  
 tumvis ei similem vident: ubinam Gre-  
 gorius agat, quærunt: solum equestrem  
 duos inter pedites præteriisse audiunt:  
 effusissimis eum habenis insequuntur us-  
 que ad locum Goritiæ Comiti subjectum:  
 ibi comperiunt, illum conscensa statim na-  
 vicula secundo flumine vectum in mare,  
 triremibus se commisisse.

Igitur pudore suffusi redibant ad fo-  
 cios, quibuscum repertos captivos Uti-  
 num ducebant. Sed in contemptum Gre-  
 gorii Confessarium ejus Paulum rubra  
 exutum veste supra thoracem fustuariis  
 contundebant: & cum quidam obstacu-  
 lum sensisset aliquod, illi detractum in tho-  
 racem infutos videbat quingentos flore-  
 nos aureos quos cum fociis gaudentibus  
 partiebatur. Alius veste indutus rubra,  
 cum per Utinum equitaret, identidem  
 ducta in crucis formam dextera Papam  
 populo bene precantem simulabat.

Reliqui de comitatu Gregorii non au- Th. Niemo.  
c. 50.  
 debant exire Austria, ubi remanserant.  
 At sub medium Octobrem per conductum  
 a se præsidium quingentorum de vicina  
 equitum Germanorum ex illa urbe dedu-  
 cti sunt. Erat inter eos quidam ex Or-  
 dine Minorum Petrus Vasco, qui confiden-

Sæcul. XV.  
A. C. 1409.

ter prædicebat, Gregorium solum mansurum Papam; & publice contendebat, Papam non posse suam relinquere sedem sine salutis æternæ damno; editisque juramentis Gregorium non teneri. Sic Papæ isti blandiebatur victor suus. Gregorius conscensa triremi delatus in Aprutium, Cajetæ sub tutela Regis Ladislai hærebat. Curia illius erat infrequens: ad eam parum pecuniæ afferebant, qui gratias postulabant: & partes illum suæ Regis metu potius, quam sponte venerantur.

## §. XL.

*Alexander V potitur Roma.*

Papa Alexander adhuc Pisis agebat; cum illud advenit Rex Siciliae Ludovicus II ex Andegavensi prosapia, magno honore acceptus a Papa, & Cardinalibus, præsertim Gallis. Junxit se illi Balthasar Cossa Cardinalis Diaconus de S. Eustachio tum pontificius apud Bononienfes Legatus: ac Ecclesiæ copiæ una cum regis sub medium Septembrem transiere in Heturiam, & S. Petri patrimonium: ubi cunctæ urbes, arcesque ad Ecclesiam pertinentes Alexandro se submittebant. Rex Ludovicus, & Cardinalis Legatus Romam usque progressi castellum S. Angeli obtinuerunt per Paulum Urfinum,

6. 52.

finum, multasque arces alias rebellibus Sæcul. XV.  
 ademerunt. Sub finem Octobris Papa A. C. 1409.  
 Pisis funesto morbo foedari coeptis Pisto-  
 rium, dein Bononiam venit.

## §. XLI.

*Imbecillum Alexandri regimen.*

Cardinalis Balthazaris Cossæ consilia, vel  
 potius imperia omnino sequebatur  
 Alexander. Per sui pontificatus curri-  
 culum emendabat nihil; placere omnibus  
 studebat; & vix aliquid cuicumque pe-  
 tenti denegare poterat. Ita, ex quo Pa-  
 pa fuit, amplissima curiæ suæ munera  
 depressit, ac sine necessitate ulla multipli-  
 cavit, postulantium importunitati cedens.  
 In beneficiis conferendis prodigus nec dif-  
 ferentiam hominum, nec formulas ordi-  
 narias, cum gratias concederet, respi-  
 ciebat, rerum agendarum usu carens.  
 Et vero Theologum, ac Oratorem sacrum,  
 non Jurisperitum fuisse illum cernimus.

Causidicorum actiones in senatu pu-  
 blico alii Papæ sæpenumero auscultave-  
 rant; ipse rarissime audiebat. Interdum  
 libellis supplicibus sibi traditis alios sub-  
 scribere nomen jubebat suum; & suppli-  
 cationum suo chirographo munitarum in-  
 dices in addictos sibi Clericos per se  
 ipsum distribuebat: cum illos Pro-Can-  
 cellarius inter litterarum Apostolicarum

*Abbre-*

c. 51.

Sæcul. XV.  
A.C. 1409.

*Abbreviatores*, ut vocantur, pro horum dexteritate, ac fide dispensare deberet. Illi autem Clerici Papæ gratia florentes neutiquam erant exercitati his in negotiis, quæ ipsis, ut ditarentur, committebat. Hinc multæ corruptiones veritatis, & fraudes ortæ intra breve tempus, quod tenuit Alexandri pontificatus. Sed qui hæc facta refert, Theodoricus Niemius, cum Romani tabularii ministrum egerit, nonnihil suspectus est de studio sui commodi.

c. 53.

Ut idem memorat, Alexander vix electus, ac nondum coronatus varias, magnasque dignitates ecclesiasticas dispensavit, cunctisque Cardinalium domesticis, qui eis in conclavi servierant, beneficia, & gratias contulit tantas, & tam insolitas, ut nihil unquam simile auditum fuerit. Atque in albo pro his domesticis confecto, cui chirographum subjecit suum, declaravit se id egisse propterea, quod in conclavi Cardinalibus singulis spondisset hoc se facturum, si fieret Papa. Ut possiderentur simul beneficia insociabilia, laxabat leges obstupescentibus curiæ suæ Ministris peritissimis. Titulos ecclesiasticos nihil pendere videbatur.

c. 51.

Fratres Minores, e quorum numero evocatus fuerat, singulari favore prosequens, iis, quibuscum maximam familiaritatem junxerat, assignabat curiæ suæ

mu.

munera quæstuosa, quæ plerumque ob-  
 ibant viri profani habiles, ac experientes. Sæcul. XV.  
A. C. 1409.  
 Etiam vacuos episcopatus plerosque Or-  
 dinis sui fratribus tradere conabatur. De-  
 nique 12 Octobris adhuc Pisis commorans *Duboulay*  
 edebat litteras, quibus renovabat Reli-  
 gioforum Mendicantium privilegia, quæ to. 3. p. 196.  
 Parochis fraudi erant. Vehementes in-  
 de motus Parisina in Universitate orti per  
 vernum jejunium sequentis anni.

Haud multo post Regem Ladislaum *Rayn. 1409,*  
 pervulgatis litteris perlongis arguebat, n. 85.  
 quod tuendo Gregorium, nec ad Pisanum  
 concilium veniendo, vel regni sui Episco-  
 pos mittendo schisma foverit; Romam,  
 Beneventum, Perusiam, pluraque loca  
 Ecclesiæ subjecta invaserit; Pisanis bel-  
 lum intulerit; & concilium dissipare stu-  
 duerit. Addebat alia crimina: & in fi-  
 ne illum per duos Cardinales ad tribunal  
 suum citari volebat. Dabat Pisis 1 No-  
 vembris; quo fructu, facile conjicias.

## §. XLII.

*Errores Joannis Hussii.*

Interim Alexander comperit errorum *J. Coch.*  
 Wicleffi progressus in Bohemia: quæ hist. l. I. p. 12.  
 res altius est repetenda. Priore anno  
 1408 Pragensis Universitas solemniter  
 adiit nationis Bohemicæ domum, quæ  
 vocabatur Rosa Nigra: & Joannes Hus-  
 sius

suis

Sæcul. XV.  
A. C. 1409.

sius præcipuos inter Doctores aderat. Ibi communi consensu fiebat sanctio hujusmodi: Nemo non sciat, præsentibus hic Doctores cunctos uno animo rejecisse Wicleffi dogmata quadraginta quinque in sensibus hæreticis, errantibus, aut afferentibus offensionem, & interdixisse subjectis sibi omnibus, cujuscunque sint nationis, nequis tantam sibi confidentiam sumeret, ut illa palam, vel privatim defenderet, aut doceret, alioquin, ex albo nationis suæ delendus. Erat hæc maxima poenarum, quas tum poterant imponere. Venerunt etiam, nequis Doctoribus inferior Wicleffi libros præsertim de Eucharistia, Dialogumve, aut *Triologum* legeret.

Joannes Hussus Universitatis Pragensis sententiæ refragari publice quidem non ausus, in clandestinis tamen colloquiis multorum animos Wicleffi erroribus inficere haud omittebat. Sed Germanos obstare suo consilio videns multo hinc acrius exardente odio in eos jam antea concepto Bohemis fuit author poscendi a Rege Wenceslao, ut scholis ipsos præficeret exclusis Germanis. Qui relicta idcirco Praga Universitatem Lipsiæ instituerunt sub istum annum 1409.

Sup. lib. 99.  
S. 47.  
Cochl. c. 16.

Præter sermones, quibus populum ad se allec[t]abat Hussus, etiam Optimatum gratiam sibi conciliabat per Wicleffi libros, in linguam vulgarem, nempe Sclavoni-

vonicam a se translatos. Clericos quo- Sæcul. XV.  
 que sibi adjungebat. Quidam eorum A. C. 1409.  
 alieno ære obruti, aut criminibus cooper-  
 ti, ac ne in judicium vocarentur, veriti  
 sperabant doctrinæ novæ amplexum sibi  
 salutis fore: alii eruditione, moribusque  
 probis conspicui molestissime ferebant be-  
 neficiis pinguibus ornari Nobiles scientia  
 sibi multo inferiores. Per indignationem,  
 ac invidiam deducti de priore sua senten-  
 tia, qua Wicleffum condemnarant, ab Ec-  
 clesia Catholica ad Joannem Hussium de-  
 sciscebant; nec tantum in Sacerdotes in-  
 doctos, vitiososque, verum etiam in om-  
 nem Clerum generatim declamabant, ne  
 Summo quidem Pontifici parcentes.

Hussio lectissimi concionatores erant  
 Hieronymus Pragensis, & Jacobellus Mis-  
 nianus, qui populum a Sacerdotibus, &  
 Monachis alienabant. Hussius in sermo-  
 nibus suis sæpe Wicleffi libros extollebat,  
 nihil hos, nisi vera continere affirmans.  
 Et vellem, addebat, post mortem adire  
 locum, in quem ejus anima venit. Mul-  
 ti Hussium Doctores salutaribus monitis  
 in viam reducere frustra conabantur.

Pragensis Archiepiscopus Svinco co-  
 gnomine Lepus ex nobilissima ortus fami-  
 lia hærebat in suo castro Raudnicensi.  
 Sed motus per Wicleffi dogmata in sua  
 diocesi concitatos audiens, ut erat vir  
 fortis & impavidus, congregavit Docto-  
 res

res

Sæcul. XV.  
A. C. 1409.

res tanquam Legatus Supremæ Sedis, afferrique ad se iussos, & a Doctoribus perlustratos Wicleffi libros ducentis plures de illorum sententia comburi cunctos voluit. Erant optime scripti, ac pro temporis more lignis compacti, sed pretiosis contacti pannis, auroque compta. At non omnes ii, qui tenebant Wicleffi opera, ad Archiepiscopum ea deferebant, ut imperaverat.

Vindictam spirans Hussius cantiunculas ad irrisionem Archiepiscopi vulgari lingua componi, ac per profanos suarum partium homines cantari palam curabat. Turbas illæ faciebant tantas, ut Rex Wenceslaus edicto publico, ne canerentur, interdiceret proposita poena capitis, & proscriptionis bonorum omnium. At Hussius alio effecit modo, ut populus Clerum haberet ludibrio, & in contemptum adduceret. Colloquia instituit publica, ubi nemini non liceret differere de religione. Itaque pelliones, sartoresque, ac futores, & alii opifices concionibus, ac lectione divini codicis in vulgari sermone instructi cum Sacerdotibus disputabant. Quin etiam foeminae se immiscebant his controversiis, ac libros contexebant.

p. 19.

Tum ad Romanam curiam delato nomine suo citatus Hussius cum non paruisset, Alexander Archiepiscopo Svincomi scripsit, ut quocunque demum gradu, vel privi-

privilegio gaudentes alibi, quam in tem-  
 plis, aut cœmeteriis de divinis rebus ver-  
 ba facere, ac Wicleffi dogmata seu pa-  
 lam, seu secreto tradere vetaret; hac in  
 re quatuor Theologiæ, ac duorum Juris  
 pontificii Doctorum consilia sequeretur;  
 denique obedire, ac errores hos ejurare  
 renuentes tractaret ut hæreticos, &  
 carceri mandaret. Dabat Pistorii 20 De-  
 cembris anno 1409.

Sæcul. XV.  
 A. C. 1410.

## §. XLIII.

*Alexander impellitur, ut Romam eat.*

Cum Romam a potestate Regis Ladis-  
 lai liberam Alexander postremo hu-  
 jus anni die comperisset; tota ei Curia  
 suadebat sua, ut sedem illic poneret: ac  
 Romani hoc cupiebant. At opponens se  
 Cardinalis Balthasar, cujus consiliis ille  
 omnino regebatur, eum induxit, ut Pisto-  
 rio Bononiam iret: cui Balthasar ut Le-  
 gatus præerat. Ibi Alexander perlongas  
 edidit litteras, in quibus historiam schis-  
 matis fusissime narrans excurrit speciatim  
 in agendi modum, malasque artes Gre-  
 gorii, ac Benedicti, qui ad Pisanum voca-  
 ti concilium, cum neutiquam se stitissent,  
 damnati contumaciæ, ac schismatici fue-  
 rint declarati. Hanc sententiam, & om-  
 nia Concilii Pisani acta confirmat. Da-  
 bat pridie Calendas Februarii anno 1410,

Rayn. 1410.  
 n. 5.

n. 7.

n. 14. 15.

*Hist. Eccles. Tom. XXIV. Xx &*

**Sæcul. XV.** & promulgabat iterum die Coenæ Domi-  
**A.C. 1410.** nicæ sacro 22 Martii.

**Rayn. n. 16.** Missi a Romanis Oratores urbis cla-  
 ves, sigilla, vexillumque populi, & litte-  
 ras plenæ submissionis testes Alexandro  
 Bononiæ palam porrigebant in conspectu  
 magnæ multitudinis gaudio triumphan-  
 tis. Magnifice acceptis Papa tradidit re-  
 sponsum 15 Martii scriptam in hanc senten-  
 tiam: Nihil optatius nobis, suaviusque  
 dari potuit, quam noticia vestræ urbis  
 fraudibus Angeli Corrarii feliciter expe-  
 ditæ. Igitur nos habendi vobiscum, so-  
 lemnissimamque indulgentiam consequen-  
 di desiderium, quod vos tenet, respicien-  
 tes, eam vobis per has litteras indicimus  
 in annum 1413. In absentia sua Petrum  
 Cardinalem Presbyterum de S. Praxede  
 (dicebatur Cardinalis Hispanus) Romæ  
 gubernacula tractare voluit.

**Th. Niem.** Pluribus in epistolis, quas ad Wen-  
**1.3. Schism.** ceslaum Bohemiæ Regem scripsit, sem-  
**6. 53.** per eum vocabat Regem Romanorum,  
 quasi non detractum de fastigio: & ta-  
 men nihil moverat contra Rupertum  
 tunc Germaniæ possessorem. Qui æger-  
 rime id ferens Alexandri partes inibi ma-  
 gnopere turbavit, apud Principes Imperii  
 de illo palam conquestus. Eodem tem-  
 pore Alexander Joanni Nassovio Archi-  
 episcopo Moguntino Legati Nati munus  
 per ipsius provinciam cum juribus inusi-  
 tatis

tatis contulit: sed & aliis quibusdam Germaniæ Præsulibus nimiam potestatem dedit: quæ fraudi erat habentibus promissa dignitatum, quæ primæ vacarent. Denique in permittendis conjugii interdum præter morem adeo laxavit leges, ut multi fremerent.

Sæcul. XV.  
A. C. 1410.

## §. XLIV.

*Alexander moritur.*

Hærebat continenter Bononiæ, ubi morbo correptus accitos Cardinales elegantissimi sermone Latino ad pacem, concordiam, & dignitatem Ecclesiæ conservandam exhortabatur; adjungens, se non firmius credere, sibi mortem imminere, quam omnia Pisani Concilii decreta facta esse bona fide ac secundum regulas. Triduo post obiit die sabbati 3 Maji anno 1410, atque in Bononiensi Fratrum Minorum templo sepultus est. Sedem supremam decem duntaxat mensibus, & octo diebus tenuit.

*Platina in  
Alex.*

## §. XLV.

*Joannes XXIII Papa.*

Sacrum Collegium tum temporis conficiebant viginti tres Cardinales, nempe sex Episcopi, Guido Maleficus Antistes Prænestinus, vocatus Cardinalis Pi-

*Rayn. n. 17.*

XX 2

ctavien-

Sæcul. XV.  
A.C. 1410.

staviensis; Henricus Minutulus Præsul Sabinensis, dictus Cardinalis Neapolitanus; Nicolaus Messanensis Albani Episcopus; Joannes Brognerius Ostiensis Antistes Cardinalis Vivarinus; Antonius Portuensis Præsul Cardinalis Aquilejensis; Petrus Tusculanus Episcopus Cardinalis Aniciensis; novem Cardinales Presbyteri, nimirum Petrus Turcius de S. Susanna; Angelus Laudensis de S. Potentiana; Petrus Hispanus de S. Praxede; Conradus Caracciolus Neapolitanus de S. Chryfogono, Patriarcha Gradinus; Cardinalis Melitensis; Franciscus Unguio de Quatuor Coronatis Burdigalensis Archiepiscopus; Jordanus Urfinus de S. Laurentio in Damaso; Joannes Melioratus de S. Cruce in Jerusalem Archiepiscopus Ravennensis; Antonius Calvus de S. Marco; Ludovicus Barianus de Duodecim Apostolis; denique octo Cardinales Diaconi, scilicet Amadeus Salutinus de templo S. Mariæ Novo; Balthasar Cossa de S. Eustachio; Raynaldus Braccacius de S. Vito; Ludovicus Fiescus de S. Adriano; Landulfus Barianus de S. Nicolao; Odo Columnius de S. Georgio ad Velum Aureum; Petrus Stefanescus de S. Angelo; & Antonius Challandinus de S. Maria in via lata.

Onuphr.  
p. 260.

Septem aberant: ac sexdecim Bononiæ præsentibus conclave intrarunt post  
noyen-

noventiales exequias Papæ Alexandri, Sæcul. XV. A. C. 1410.  
 scilicet inclinante in vesperam die Mer-  
 curii 14 Maji anno 1410. Cardinalis Bal-  
 thasar Cossa ad pontificatum se neutiquam Th. Niem. Vita Joau.  
 aspirare simulans Collegas stimulabat ad  
 eligendum Cardinalem Melitensem Con-  
 radum Caracciolum Neapolitanum, at-  
 que ita popularem suum. Is erat vir pro-  
 bis moribus, sed tardo admodum ingenio,  
 & litteris aspersus potius, quam tinctus.  
 Rex autem Siciliae Ludovicus II Andega-  
 vensis magnam tum classem, qua Ladis-  
 laum invaderet, in mari Ligustico habe-  
 bat; & Alexandri mortem edoctus per  
 Legatum Bononiam missum conclave  
 nondum ingressis Cardinalibus, præfer-  
 tim Gallis Balthasarem Cossam in suffra-  
 gia commendarit hunc suo molimini  
 præsto futurum sperans. Et vero istum  
 cooptarunt tertio post conclavis ingres-  
 sum die decimo sexto Calendas Junias.

Joannes XXIII nuncupari voluit: &  
 quod Diaconus tantum esset, per Cardi-  
 nalem Vivarinum Ostiensem Episcopum  
 sequente sabbato Sacerdos, postera die  
 Dominica 25 Maji Episcopus consecratus,  
 post sacrificium per Cardinalem Diaco-  
 num Rainaldum Brancasium Neapolita-  
 num ante portam templi coronatus so-  
 lemnem per Bononiæ plateas equitatio-  
 nem ad pompam instituit.

Sæcul. XV.

A. C. 1410.

§. XLVI.

*Joannis XXIII initia.**Th. Niem.**Vit. Joan.**XXIII. l. 1.*

Balthasar Cossa nobili genere Neapoli ortus ut adolescens, etsi jam Clericus cum fratribus suis piraticam fecit ex occasione belli Ladislaum inter ac Ludovicum Andegavensem. Ita consuevit vigilare noctu, dormire interdiu, pergebatque id facere per omnem vitam suam. Tum Bononiam litterarum causa delatus hoc sub obtentu multis ibidem annis tractis, quanquam non admodum eruditus Juris tamen lauream accepit, quin etiam a Bonifacio IX, qui de ipso inaudierat, vacuum archidiaconatum Bononiensem, munus profecto amplissimum, quippe connexum cum præfectura Universitatis, & cum jurisdictione in hujus discipulos.

Per ambitionem brevi profectus Romanam, ac ejusdem Papæ Camerarius secretior factus gratiam, qua florebat, in rem suam coepit vertere plus pecuniæ sibi offerentibus impetrando beneficia. Multas quoque noxarum condonationes vendidit in Germania, & pro regionibus ad septem triones sitis. Cum a Bonifacio anno 1402 creatus esset Cardinalis Diaconus de S. Eustachio, id ei magna vi argenti constitisse rumor erat in Romana curia. Anno proximo idem Papa Bononien-

*Rayn. 1403.*

n. 9.

noniensem illi legationem commisit, ut <sup>Sæcul. XV.</sup>  
 tum hominem a concubina Catharina no- <sup>A. C. 1410.</sup>  
 mine, quam is Romæ fovebat, abstrahe-  
 ret, istamque sceminam, & maritum ejus  
 Neapolim remitteret; tum Bononiam  
 Supremæ iterum Sedi subjiceret.

Nam hæc urbs parebat liberis Pro-  
 Comitis Joannis Galeatii, qui diu op-  
 pugnatam ceperat: & Bonifacius tam  
 ærario, quod molitioni sufficeret, quam  
 viro ad eam perficiendam idoneo carebat:  
 sed neutrum sibi defore censuit, si ope-  
 ram, fortunasque ipsi suas devoveret Bal-  
 thasar. Qui suscepta legatione Roma  
 Bononiam cum exercitu profectus, obses-  
 sam expugnavit. Perbene dein sciebat  
 factos compensare sumptus, & magnas  
 insuper opes conflare nova subsidia, &  
 aurum mutuum severissime exigendo.  
 Imperabat enim instar Tyranni potius,  
 quam Legati Ecclesiæ.

Bonifacii IX extincti successorem In-  
 nocentium VII Bononienses in urbem suam  
 attrahere studuerunt, ac se liberare jugo  
 Balthasaris: qui re comperta consilii au-  
 thores duriter multavit bonis, seque In-  
 nocentio semper opposuit; quem parvi  
 pendebat. Nec melius ille convenit cum  
 Gregorio XII, a quo diffidebat ob episco-  
 patum Bononiæ. Nam hunc is anno  
 1407 contulit nepoti suo Antonio Corra-  
 rio: qui vero nunquam istum possedit:

*Ughel. to. 2.  
p. 36.*

X x 4

quia

Sæcul. XV.  
A. C. 1410.

quia Balthasar percipiebat hujus Ecclesiæ redditus, quos ad conservandam Supremæ Sedi urbem sibi opus esse perhibebat. Animi eum sui alienatio a Gregorio permovit, ut Pisano faveret concilio. Ipse fuit, qui cum Florentinis egit, ut hoc in urbe sibi obnoxia celebrari fierent: quin etiam pecuniis suis adjuvit Cardinales, qui Idem convocarunt.

Proponebatur inibi Balthasar in Papam electio: at causabatur sibi videri cooptandum tum quidem potius Petrum Cretensem, probe instructum litteris, ætate provectum, optima florentem fama, denique Græcum sine cognatis Ecclesiæ Romanæ futuris oneri. Ceterum spondebat se illi fore ducem in gerendis rebus profanis, & pro suis viribus adjutorem ad recuperandam Romam, ac Hetruscum S. Petri Patrimonium. Erat vir magnus profanis in negotiis, sed in sacris nullus. Itaque loquitur Leonardus Aretinus, qui ei a secretis fuit, & jam Innocentio VII, atque Gregorio XII servierat.

*Ital. hist.*  
p. 237.

*Rayn. 1410.*  
n. 21.

Joannes XXIII ipso, quo coronatus est, die sui pontificatus indices litteras exarari voluit ad omnes Episcopos circummittendas. Relata ibi summam historia schismatis scrupulos tollendi gratia confirmat collationes beneficiorum, & abrogat censuras ab utraque parte pronun-

nunciatas. Per alias deinde litteras 21 Sæcul. XV.  
 Julii scriptas approbat sententias a Conci- A. C. 1410.  
 lio Pisano, & Alexandro V latas in Gre-  
 gorium, Benedictum, horumque fautores. n. 23.

§. XLVII.

*Ruperti mors. Sigismundus Impe-  
 rator.*

**D**uodecimo Calendas Junias Imperator  
 Rupertus Oppenheimii vitæ cursum  
 confecit anno decimo sui regiminis.  
 Quod edoctus Papa Joannes ad Electo- Trith. 1410.  
 res misit Nuncios cum litteris, quibus il-  
 los magnopere hortabatur, & orabat, ut  
 in Romanorum Regem eligerent Sigis-  
 mundum Luxemburgium, tunc Regem  
 Hungariæ, Imperatoris Caroli IV filium;  
 ac Wenceslai fratrem. Reapse hunc il-  
 li Francofordiæ post consultationem se-  
 dulam cooptarunt, postquam Virum dig-  
 niorem haud invenerant.

Nam is erat Princeps prudentissimus,  
 constans, magnanimus, pius, liberalis,  
 præstans corporis specie ad majestatem  
 apposita, lectione crebra eruditus, & mul-  
 tas callens linguas: sæpe pugnaverat  
 cum Turcis, ac ex horum Ducibus tri- Gobel. pag.  
 ginta duos ceperat. Vigesima Septem- 289.  
 bris fuit, qua eum eligebant Archiepisco-  
 pus Trevirensis, Comes Palatinus, &  
 Marchio Brandeburgius: deliberabant

Xx 5                      adhuc

Sæcul. XV.  
A.C. 1411.

adhuc Archiepiscopi Moguntinus, & Colonienſis, ac poſtea Jodocum Moravizæ Marchionem cooptarunt: ſed grandis natu 20 Martii anno ſequente obiit. Tum Electores cuncti agnoſcebant Sigismundum: qui regnavit annos viginti ſeptem.

## §. XLVIII.

*Papæ Joannis Cardinales novi.*

Die ſabbati intra octavam Pentecoſtes ſexta Junii anno 1411 Papa Joannes quatuordecim Viros genere inſignes alios, alios doctrina nobiles creavit Cardinales, ut ſe muniret contra Regem Ladislaum Gregorii deſenſorem, cæterosque ſchiſmaticos. Primus illorum erat Franciſcus Landus Nobilis Venetus, ac Juris Doctor ex Epifcopo Concordiæ Patriarcha Gradinus, poſtea Conſtantinopolitanus, Cardinalis Preſbyter de S. Cruce in Jeruſalem. Secundus, Antonius Pancerinus ex Forojulienni agro Aquilejenſis Patriarcha, Gregorii partibus, quas aliquamdiu ſecutus erat, ob malam ejus fidem in concordia negotio deſertis, bello de ſede pulſus ſua; ſed per Papam Joannem Antonio Pontino, quem Gregorius ſubrogaverat, amoto reſtitutus, modo Cardinalis Preſbyter de S. Suſanna.

Tertius, Alemannus Adimarus Florentiæ inter Nobiles, Doctoresque Juris,  
&

Th. Niem.  
Vitæ c. 23.

Onuph.  
c. 281.

Ughell. to. 5.  
p. 132.

& Canonicos cathedralis templi conspi-  
 cuus, Romanæ Curiaë Archigrammateus  
 dein Tarenti, postea Pifarum Archiepisco-  
 pus eo tempore, quo concilium ibi habe-  
 batur. Nuncium agebat in Gallia, cum  
 nominatus est Cardinalis Presbyter de S.  
 Eusebio. Quartus, Joannes natione Lu-  
 sitanus ex Conimbricensi Episcopo Ulyf-  
 siphonensis Archiepiscopus, unus de præci-  
 puis Regis Lusitaniæ Administris, & ob  
 illius commendationem decretus Cardi-  
 nalis Presbyter de Petro *ad Vincula*.

Sæcul. XV.  
 A. C. 1411.

Quintus, celeberrimus Petrus Aillius Pari-  
 sinus Doctor, & Cameracensis Episcopus,  
 cujus mentio jam facta, etsi non ageret  
 Romæ, designatus Cardinalis Presbyter  
 de S. Chrylogono. Sextus, Georgius  
 Lichtensteinius Episcopus Tridentinus,  
 Cardinalis Presbyter, sed sine titulo tem-  
 pli, quia nunquam adiit Romam, brevi-  
 que obiit. Septimus, Thomas Branca-  
 sius Neapolitanus, Papæ nepos, Tricarci-  
 nus in Lucania Episcopus, Cardinalis  
 Presbyter de SS. Joanne, ac Paulo, sed  
 bellicosus, & dissolutus. Octavus, Bran-  
 da Castillonus Nobilis Mediolanensis, Ju-  
 ris Doctor & Professor in Universitate Ti-  
 cinensi, sub Bonifacio IX *Auditor Rotæ*,  
 per Gregorium XII Placentinus Episco-  
 pus, modo Cardinalis Presbyter de S. Cle-  
 mente.

Nonus,

Sæcul. XV.

A. C. 1411.

Nonus, ac decimus, duo Episcopi Angliæ, Thomas Langlejus Episcopus Dunelmensis, ac regni Cancellarius, & Robertus Halamus Sarviodunensis Episcopus, sed ambo sine titulo templi ob suam absentiam. Undecimus, Ægidius Campius Rothomagensis, inclytus Theologiæ Doctor Parisinus, schismatis extinguendi, ut dictum est, studiosissimus, Episcopus Cosedianus, Cardinalis Presbyter, sed sine titulo templi, quia non venit Romam, ac brevi vitam posuit anno 1413.

Duodecimus, Lucius Contius Nobilis Romanus Archigrammateus Apostolicus, Cardinalis Diaconus de S. Maria in Cos-

*Ughell. to. 3.  
p. 215.*

*medin.* Decimus tertius, Franciscus Zabarella Patavinus, Juris Professor suo tempore clarissimus, per Papam Joannem ab anno priore Episcopus Florentinus, modo Cardinalis Diaconus de SS. Cosma & Damiano. Frequens in posterum sermo de illo erit. Ultimus, Guilielmus Filastus Gallus e Cenomania, Juris Canonici Doctor, ac Remensis Ecclesiæ Decanus, in Parisino conventu anno 1406 illustrem adeptus fama, Cardinalis Diaconus, & paulo post Presbyter de S. Marco.

*Sup. l. '99.  
s. 56.*

## §. XLIX.

*Tumultus Pragensis.*

Interim Gregorius hærebat Cajetæ sub præ-

præsidio Regis Ladislai, nec lassabatur  
 in mittendis Legatis, & litteris, censuris  
 que inutilibus irrogandis Papæ Joanni:  
 qui paribus mulctabat Gregorium, quin  
 etiam Ladislaum, in quem classicum sa-  
 crum cani voluit.

Igitur Hussitæ in Bohemia declama-  
 bant contra Joannem, qui Christianos im-  
 pelleret, ut fidei sociorum sanguine ma-  
 nus imbuerent. Cum in Pragensi templo  
 promulgarentur illius litteræ de bello sa-  
 cro, opifices de plebecula clamabant Pa-  
 pam Joannem esse Antichristum: ur-  
 bis Senatus eos addixit carceribus: at  
 populus accinctus armis poposcit, ut hinc  
 emitterentur omnes. Senatus rebelles  
 alloquens ita pacabat, ut suam quisque  
 domum repeterent, vitam captivorum  
 salvam rati. Interim clam necabantur.  
 Sed horum cruorem extra curiæ portam  
 fluere videns populus eo accurrit, ablata-  
 que corpora aureis involuta pannis in  
 omnia urbis templa circumtulit, Sacer-  
 dotibus suæ sectæ clamantibus: En San-  
 cti, qui pro lege Dei vitam dedere suam.  
 Tum peruncta balsamo cadavera quasi sa-  
 cras reliquias posuere in sanctuario tem-  
 pli Bethlehem.

§. L.

*Papæ Joannis pactum cum Ladislao.*  
 Joannes Ladislaum e regno Neapolitano  
 pel-

æcul XV.

A. C. 1412.

Rayn. 1411.

n. I. 5.

1412. n. I.

Æn. Silv.

hist. Boh.

c. 85.

Sæcul. XV. pellendi causa se Regi Ludovico Andega-  
 A. C. 1412. vensi junxerat: eorumque copiæ victo-  
 riam initio aliquam reportarunt. Quam  
 Th. Niem. cum non persequerentur, Papa Ladis-  
 Vitæ Joan. laum magis magisque firmari etiam in  
 c. 22. Æmilia, & reliquis Ecclesiæ terris vi-

c. 24.

Decimo quinto Junii anno 1412 trans-  
 Rayn. 1412. actum est his maxime conditionibus, ut  
 n. 3. Ladislaus utramque teneret Siciliam, &  
 Gregorium destitueret. Itaque Rex Pa-  
 pæ Joanni tradidit hujusmodi declaratio-  
 nem:

Rayn. 1412  
 n. 2.

Dubitantes aliquamdiu, an recte ad  
 pontificatum euectus fueris, ac rei verita-  
 tem modis omnibus indagantes demum  
 æquitatem causæ tuæ cognoscere nos vo-  
 luit Deus. Cæteros quoque Catholicos  
 Reges, Principes, ac Respublicas tibi mo-  
 rem gerentes consideravimus. Idcirco  
 per has litteras tibi denunciamus, nos tui  
 electionem e Canonum præscripto factam  
 firmiter modo credere. Atque ut totus  
 id sciat orbis, nostro, nobisque subjecto-  
 rum omnium nomine Sanctitati tuæ inter  
 manus Rainaldi Cardinalis Diaconi de S.  
 Vito Legati tui obedientiam addiximus.  
 Dabamus Neapoli 16 Octobris anno 1412.

S. L.

§. LI.

*Altera Gregorii fuga.*

Sæcul. XV.

A. C. 1412.

Interea dum hæc secreto gerebantur, Ladislaus quodam die Cajetam delatus apertè capite pro more Gregorium salutabat. Qui pactionem clam edoctus palam ad illum, Chare Domine, inquiebat, *Th. Niem.*  
 cur meo cum adversario pactus es me inconsulto & inscio? Rex id pernegabat: *c. 23.*  
 sed postridie per suorum quendam Gregorio curavit dici, ut postrema Octobris *Gobel. p.*  
 cum suis abiret e Sicilia. Tum vero certus de pacto Papa probe videbat, quo in periculo ipse, omnisque Curia sua versaretur: quam ad se congregabat ignarus consilij. *289.*

His in angustiis sub finem Octobris erant; cum Cajetam advenere duæ Venetorum naves oneratae mercibus Orientis altera, altera Occidentis. Cajetæ cives, quod Gregorium, & Curiam ejus amarent, Ladislai in illum duritia offensi has merces emebant, ut illas naves vacuas Papa, & hujus comites conducere possent: quod etiam fecere protinus. Iisdem in altum proVecti post plurium dierum navigationem feliciter attingebant Marchiam Anconitanam: ubi sub præsidio Caroli Malatestij tuto exscendebant in terram: & Gregorius cum secutis se tribus Cardinalibus pridie Natalem Christi *Rayn. 1412.*  
*n. 4.*

Ari-

Sæcul. XV.  
A. C. 1413.

Ariminum ingressus sedem ibi suam posuit.

Gobel. pag.  
289. 290.

Interim Papa Joannes volebat Romæ habere concilium generale, quod Alexander V in concilio Pisano jusserat celebrari post triennium, nempe hoc anno 1412; cujus sub finem re ipsa coeptum est: at

Conc. to. II.  
v. 2323.  
Rayn. 1413.  
n. I.

Episcopi tam pauci aderant, ut fere nihil sit actum. Apostolicas duntaxat ibi litteras invenio 2 Febr. 1413 datas, quibus Wicleffi errores centum condemnabantur.

§. LII.

*Continuatio turbarum Bohemicæ.*

Jo. Cochl.  
p. 29.

Svinconi Pragensi Archiepiscopo Posonii in Hungaria mortuo successit Albius nazione Bohemus, arte Medicus. Erat etiam Doctor Juris, sed avarissimus; crediturque Archiepiscopus factus solum per favorem Regis Sigismundi, cui medicam præstabat operam. Illius inhabilitatem suppleturus Papa Pragensis Ecclesiæ Administratorem constituit Conradum Olomutinum Episcopum: qui a Theologis Pragensis Universitatis petit exemplar seu apographum consilii Svinconi Archiepiscopo dati de modis sedandi turbas contra religionem.

Id consilium consistebat in duodecim punctis, quorum summa hæc erat: Pragensis Universitatis Doctores cuncti convenient

venient ad Archiepiscopum; & in præ-  
 sentia ejus, aliorumque Præfulum jura-  
 bunt se defensores nullam ex propositio-  
 nibus quadraginta quinque condemnatis:  
 erant Wicleffinæ. Jurabunt etiam, se  
 de septem Sacramentis, de potestate cla-  
 vium, de censuris ecclesiasticis, de reli-  
 quiis sacris, de noxarum condonationi-  
 bus, & Ordinibus religiosis idem crede-  
 re, quod credat Ecclesia Romana, cujus  
 caput sit Papa. Jusjurandum idem da-  
 bunt Universitatis alumni omnes, alio-  
 quin devinciendi anathemate, ac pellen-  
 di regno. Episcopi easdem propositio-  
 nes in sua quisque dioecesi denunciabunt,  
 ut omnes Bohemiæ populi damnatas  
 sciant. Nemo canet cantiunculas probro-  
 sas, & quæ offensionem forent. Joannes  
 Hussius nullam habebit concionem, do-  
 nec Romana Curia eum absolverit.

Sæcul. XV.  
 A. C. 1413.

Episcopus Olomutinus id consilium  
 Baronibus regni, ac Senatui Pragensi tra-  
 didit. Quo comperto Joannes Hussius  
 una cum suis pariter ad modum consilii  
 litteras confecit in hanc sententiam: Ob-  
 servetur regii Consilii præscriptum inter  
 Svinconem piæ memoriæ Archiepisco-  
 pum ex parte una, & inter Rectorem, Do-  
 ctioresque, ac Magistrum Joannem Hus-  
 sium ex altera parte. Hic se sistat con-  
 ventui Cleri, ubi, quicumque velit, ei ob-  
 jice-

0. 32.

*Hist. Eccles. Tom. XXIV.*

Yy

jice-

Sæcul. XV. jicere hæresim, aut errorem possit sub  
 A. C. 1413. poena talionis, si neutrum demonstrave-  
 rit. Si nemo agat adversarium, Rex cu-  
 ret, ut singulis in urbibus & parœciis  
 promulgetur, Magistrum Hussium ad red-  
 dendam suæ fidei rationem paratum esse:  
 præterea Rex præcipiat, ut quisquis Hus-  
 sium erroris arguendum sibi existimet, in  
 archiepiscopatus tabulario suum inscribat  
 nomen, ut ambæ partes publice audian-  
 tur. Si nemo se offerat, ii, qui multos in  
 Bohemia hæreticos dari Romanæ Curiae  
 significarunt, planum faciant, quinam sint  
 isti hæretici: sin minus, puniantur. Theo-  
 logiæ, ac Juris Pontificii Doctores, &  
 Canonorum Collegia interrogentur, an  
 quenquam noverint hæreticum: si ne-  
 gent, id declarent per litteras authenti-  
 cas. Tum Rex, & Archiepiscopus sub  
 certis vetabunt poenis, nequis sine ratio-  
 ne insimuletur hæreseos, aut erroris.  
 Rex ad Romanam curiam Cleri sumpti-  
 bus mittat Legatos, qui asperfas regno  
 calumnias ibi diluant. Denique non re-  
 spiciatur interdictum afficiens templa, ubi  
 adesset Hussius. Hoc istius consilium  
 scriptum est 6 Febr. anno 1413.

Olomutinus Episcopus id confestim  
 misit ad Joannem Episcopum Littomelci  
 urbis postea dirutæ per Hussitas, & cujus  
 episco-

episcopatus suppressus fuit. Episcopus Sæcul. XV. A. C. 1413. A  
 Joannes erat Vir gravis, magnoque re- J. Cochl. p. 34.  
 rum usu præditus, qui decimo ejusdem  
 mensis respondit hunc in modum: Eli-  
 gendus est Pragensis Universitatis Pro-  
 Cancellarius, qui errata Doctorum, disci-  
 pulorumque indaget, & corrigat. Joanes  
 Hussius, cujus a sermonibus tota  
 profluxit discordia, omnino a suggestu sa-  
 cro, ac templo Bethalem arcendus. Pa-  
 pæ sententiæ contra illum ac socios ejus  
 executioni dandæ. Condemnandi libri,  
 quos in lingua vulgari edidere ad inficien-  
 dos suis erroribus laicos.

Transtulere autem vulgarem in lin- p. 38.  
 guam, nempe Slavonicam non modo  
 codicem sacrum, verum etiam libros Wi-  
 cleffi, præsertim illos, qui Papam, & Cle-  
 rum impugnabant: & quidquid Hussius  
 hac de materia dicebat, ejus sectatores  
 pro mero habebant Evangelio.

§. LIII.

*Ladislaus Romam occupat.*

Ineunte Majo Rex Ladislaus numero Th. Niems c. 35. S. Anton. tit. 2. c. 6.  
 cum exercitu Romæ imminebat spe-  
 cie pacis ibi conservandæ interea, cum  
 Papa Joannes Concilium adiret. Hic il-  
 lum velle in urbem irrumperè suspicatus  
 eam

Sæcul. XV. A. C. 1413. eam per suos, Romanosque pro viribus defendendam curabat. At isti Papam oderant ob graves ipsius exactiones: & multi colludebant cum Ladislao. Sic Roma tam male custodiebatur, ut Regis copię 8 Junii noctu eam intrarent per editam muri ruinam. Papa cum plerisque Cardinalibus primo mane properam capessens fugam Curiam sequentem habuit. Postquam in locis variis substitute- rat, Florentiam profectus ibi manebat usque ad initium Novembris. Hęc civitas tum scissa erat magnas in factiones: altera Papę, Ladislao altera favebat: itaque illi extra urbem quędam Episcopi domus, quam incoleret, assignata, Curia tamen ejus intro admissa fuit.

*Leonard.*

*Ariz. p. 257.*

§. LIV.

*Constantia eligitur ad concilium.*

Rex Ladislaus non tantum Romam, verum etiam cunctas urbes reliquas usque ad terras Senarum, ac Florentię occupaverat. Idcirco Papa Joannes resistendo viribus ejus impar se convertit ad Imperatorem Sigismundum: & postquam cum eo per epistolas egerat, duos eidem Cardinales misit ad constituendum locum, tempus, modumque congregandi concilii generalis. Hoc enim unicum Ec-  
clesias

clesiæ malis remedium restare probe cer-  
 nebant Papa, & Imperator. Ille suam **Sæcul. XV.**  
 mentem aperuerat Leonardo Aretino suo **A. C. 1413.**  
 a secretis ministro, qui rem ita enarrat:

Omnia pendent, aiebat, a loco conci-  
 lii: nec volo ibi esse, ubi fortior sit Im-  
 perator. Igitur Legatis meis decentiæ  
 causa potestatem dabo amplissimam, quam  
 exhibere queant: sed per mandatum se-  
 cretum eam ad certa adstringam loca.  
 Hæc mihi enumerabat. Multis diebus  
 hoc in proposito perstiterat; cum adve-  
 nit tempus mittendi Legatos. Tum re-  
 motis arbitris præter me omnibus diu  
 cum Legatis loquens eos hortabatur, ut  
 bene fungerentur officio suo, cujus mo-  
 mentum eis commonstrabat, prudentiam  
 ipsorum, fidemque laudans. Dein adde-  
 bat: Statueram vobis nominare quædam  
 loca, extra quæ nullum probaretis. Sed  
 hoc puncto temporis muto consilium, ac  
 vestræ sapientiæ rem totam permitto.  
 Concerpebat simul coram eis papyrus,  
 in qua scripta erant loca; nec iisdem no-  
 minavit aliquem. Illi ad Sigismundum  
 delati subjectam ei urbem Constantiam  
 delegerunt: quod edoctum Papam incre-  
 dibilis incessit dolor. Hæc Leonardus  
 Aretinus.

Sæcul. XV.  
A. C. 1413.

§. LV.

*Lollardorum motus in Anglia.*

Rex Angliæ Henricus IV 20 Martii anno 1413 decessit, postquam regnaverat annos tredecim ac dimidium. Successit illi suus filius natus major Henricus V. Per id tempus Lollardi seu Wicleffistæ Londinensium templorum portis affixere schedas, quibus denunciabant, se centies mille numero paratos esse ad insurgendum in omnes alienos a secta sua. Præerat illis Vir nobilis Joannes Oldcastelius Regi charus ob bellicam virtutem suam, sed suspectus ob ardens hæreseos studium. Cum Thomas Arantinius Archiepiscopus Cantuariensis tunc Londini conventum Cleri fecisset, Oldcastelius, ut compertum est, suæ sectæ homines emiserat, qui episcopis invitis, & contra interdictionem concilii provincialis conciones haberent, præsertim in diocesis Londinensi, Rutupina, & Herefordiana: interfuerat illorum sermonibus; ac eos, qui se his opponere per minas vindictæ Magistratum volebant, cohibuerat, inter errores alios contendens, nec Archiepiscopo, nec Suffraganeis ejus fuisse potestatem edendi talem interdictionem. Archiepiscopus post expectationem longam, & Regis auctoritatem incassum adhi-

*Walsing.*

p. 574.

*Conc. to. II.*  
p. 2323.

adhibitam Oldcastelium in jus vocavit, ut <sup>Sæcul. XV.</sup>

II Septembris per se ipsum adesset. A. C. 1413.

Tantum aberat, ut se sisteret, ut etiam se muniret in castro, quod incolebat. Contumacem proin, & anathemate devinctum declaravit Thomas, ac denuo citavit in vigesimum tertium ejusdem mensis. Quo die cum Richardo Londini, ac Henrico Vintonii Episcopis in Londinensi ad S. Paulum Senaculo sessionem habens adduci ad se iussit Oldcastelium captum paulo ante, ac in turrim Londinensem missum.

Exponebat ei, quomodo cum ipso egisset, & absolutionem ab anathemate humaniter offerebat. At eques eam poscere recusabat, adjungens, se libenter ipsi lecturum suam fidei professionem. Simul depromptam e sinu suo papyrum denticulatam legit, & tradidit Archiepiscopo. Qui ad eum, Domine Joannes, inquebat: charta hæc continet multa dogmata catholica. Sed hodie accitus huc es, ut respondeas de propositionibus aliis errorem, ac hæresim redolentibus. Quæro, an sacramentum altaris sub speciebus consecrati panis manere, ac Sacramentum poenitentiae necessarium esse credas. Eques negabat se velle mentem suam explicare aliter, quam per chartam suam. Archiepiscopus eum commise-

Yy 4

rans

Sæcul. XV. rans, Cave, aiebat, ne, si clare non respon-  
 A. C. 1472. deas, te declaremus hæreticum. At ille  
 non dignabatur istum alio responso.

Tum Archiepiscopus affirmabat cui-  
 vis Catholico credenda esse, quæ Roma-  
 na Ecclesia decidisset secundum authori-  
 tatem SS. Augustini, Hieronymi, cæte-  
 rorumque Patrum. Joannes reponebat,  
 se velle credere omnia, quæ sancta Eccle-  
 sia decidisset. Nolebat autem asserere, Pa-  
 pam, Cardinales, ac Episcopos habere po-  
 testatem faciendi tales decisiones. Ita-  
 que Archiepiscopus meliora sperans eum  
 orabat, ut proximo die lunæ clara, ple-  
 naque responsa redderet.

Illo die, qui erat 25 Septembris, capti-  
 vus iterum productus est ad Thomam Ar-  
 chiepiscopum Cantuariensem, Londinique,  
 Vintonii, ac Benedictum Bangertii in  
 Wallia Episcopos. Thomas illum rursus  
 suaviter monebat, ut postularet absolutio-  
 nem ab anathemate: sed Joannes asseve-  
 rabat, se absolutionem non petiturum, ni-  
 si a solo Deo. Archiepiscopus primum  
 quærebat de Sacramento Eucharistiæ.  
 Oldcastelius respondebat: Quemadmo-  
 dum Christus agens in terra habebat na-  
 turas Divinam, humanamque, sed Divi-  
 nam invisibilem, ac tectam sub humana  
 visibili: ita Sacramentum altaris est ve-  
 rum

rum corpus, verusque panis; quem cer-  
 nimus: tametsi non videmus Christi cor-  
 pus sub illo absconditum.

Sæcul. XV.

A. C. 1413.

Hujus Sacramenti fidem comprehen-  
 sam scripto, quod Archiepiscopus ei mise-  
 rat, liquido negabat, asserens hanc deci-  
 sionem sacris litteris esse contrariam, fa-  
 ctamque, postquam Ecclesia fuisset dota-  
 ta, & infecta veneno. Volebat dicere,  
 Ecclesiam fuisse corruptam post donatio-  
 nem Constantini, & adeptionem bonorum  
 temporalium. Idem perhibebat de Sacra-  
 mento pœnitentiæ, affirmans, hominem  
 gravis peccati reum, a quo ipse non se pos-  
 set erigere, acturum bene, si Sacerdotem  
 prudentem, probumque consuleret; sed ad  
 salutem non esse opus, ut illud suo Paro-  
 cho, vel alii Sacerdoti confiteatur; so-  
 lum animi dolorem de offensa Dei super  
 omnia dilecti sufficere. Crucem vero neu-  
 tiquam, sed Christi corpus, si ei affixum es-  
 set, adorandum dicebat.

De potestate clavium loquens Papam  
 Antichristi caput, Episcopos ejus membra,  
 Fratres Mendicantes ejusdem caudam es-  
 se ajebat; nec illos mereri obedientiam,  
 nisi quatenus Christum, Sanctumque Pe-  
 trum in moribus & vitæ ratione imita-  
 rentur. Tum extendens manus conten-  
 ta voce ad præsentem alios, qui me judi-

Yy 5

cant

Sæcul. XV. cant, inquiebat, & qui damnare me vo-  
A. C. 1413. lunt, vos cunctos, seque ipsos decipiunt:  
 vos ducent ad inferos, nisi ab eis caveritis.  
 Etiam tum conatus faniora homini per-  
 suadere Thomas Archiepiscopus tandem  
 pronunciavit sententiam, & Joannem Old-  
 castelium declaravit hæreticum, Ecclesia  
 extorrem, ac profano relictum foro.

Postea Regem cuncta edocuit, oravit-  
 que, ut quadraginta dierum spatium sonti-  
 daret, intra quod eum poenitentiam subi-  
 ret. Annuat Rex, ac Equitem in turrin-  
 Londinensem remisit. Sed antequam id  
 tempus effluxit, elapsus e carcere, ac li-  
 bertati redditus, nihil nisi vindictam cogi-  
 tabat. Missis proin secreto litteris convo-  
 cavit tam Nobiles, quam plebejos suarum  
 partium: quæ res ineunte anno proximo  
 apertam seditionem commovit.

## §. LVI.

*Joannes cognomine Parvus Parisiis  
 condemnatur.*

*Monstrel. 1.  
 vol. c. 113.  
 fol. 181.  
 Sup. f. 6.* Parisiis sub finem anni 1413 Episcopus,  
 & Inquisitor Fidei Doctores plurimos  
 congregarunt, ut ferrent judicium de qui-  
 busdam propositionibus, quas Doctor Jo-  
 annes Parvus anno 1409 fecerat, defen-  
 dens Burgundiæ Ducem necati Aureliæ  
 Ducis

Ducis reum. Nonnulli hoc conventu ter-  
 riti Burgundiæ Ducis iram, & inimicitiam  
 metuebant. Doctores jussi sunt sententiam  
 suam die Mercurii 20 Decembris dicere de  
 septem assertionibus, quarum prima erat:

Quilibet tyrannus potest, ac debet pe-  
 riri etiam ab homine subjecto sibi, & quo-  
 vis modo, ex insidiis consulto structis, seu  
 per dolum: estque actio bona, & cælo  
 digna, cui nullum jusjurandum, cogna-  
 tio nulla obstat, & quæ non differenda est  
 ad sententiam, vel mandatum Judicis.  
 Doctores responderunt: Hæc assertio tam  
 generatim accepta pro ratione politica est  
 error contra fidem, morumque bonorum  
 doctrinam; tendit ad everisionem regno-  
 rum omnium, & ad perniciem Regum, ac  
 Principum; munit viam perjuriis, prodi-  
 tionibus mutuis dissidentiis, multisque  
 aliis malis. Sex reliquæ assertiones erant  
 exempla sacro e codice deprompta, quo-  
 rum accommodationem condemnarunt  
 Doctores.

Sed suam sententiam non protulere  
 nisi 16 Januarii anno 1414: & 23 Februa-  
 rii Parisinus Episcopus ac Inquisitor in  
 magna exedra palatii episcopalis coram  
 multis Præsulibus, Doctoribusque, ac in-  
 gente populi turba Joannis Parvi sermo-  
 nem censura notatum in propylæo templi  
 Nostræ

Sæcul. XV.

A. C. 1413.

Labour. to.

2-p.932. Mss.

Sæcul. XV. A. C. 1413. Nostræ Dominæ comburendum pronun-  
ciarunt: quod biduo post factum est: ac  
Doctor Benedictus Gentianus hunc ad  
actum concionem habuit.

## §. LVII.

*Congressus Laudensis.*

*Leon. Alex.* *p. 158.* *Th. Niem.* *vit. l. I. c. 37.* Prima hyeme Papa Joannes Florentia  
Bononiam, & paulo post Placentiam,  
profectus ibi cœpit conferre consilia cum  
Imperatore Sigismundo nuperrime delato  
in Italiam. Laudem postea venerunt, ubi  
fere mensis spatio hærebant. Inibi 9 De-  
cembris anno 1413 Papa urgente Impera-  
tore litteras concilium convocantes edidit,  
quorum summa hæc erat:

*Tom. 12.* *Concil. p. II.* Papa Alexander V Pisano concilio ge-  
nerali præsidens edixit, ut intra triennium  
rursus fieret concilium generale, ubi sta-  
tuerentur ea, quæ agenda restarent ad  
emendam Ecclesiam. Postquam  
illi successimus, voluntati ejus facturi  
satis præscripto tempore concilium Ro-  
mam convocavimus. Sed cum adesi-  
set dies, Præsules, aliique, qui tali concilio  
interesse debebant, non venerunt tan-  
to numero, quantum poscere videbatur  
momentum, & gravitas negotiorum, quæ  
ibi tractanda erant. Itaque prorogavimus  
conci-

concilii diem, necdum tamen locum ejus <sup>Sæcul. XV.</sup>  
 nominavimus. Tum dilectus filius noster <sup>A.C. 1413.</sup>  
 Sigismundus electus Rex nos per litteras  
 magnopere oravit, ut ne locum, ac tem-  
 pus declararem, antequam Legatos ad  
 nos mitteret. Quibus Florentiæ auditis  
 ad Regem legavimus Cardinales Anto- <sup>Sup. §. 54.</sup>  
 nium Presbyterum de S. Cæcilia, & Fran-  
 ciscum Diaconum de S. Cosma, cum Ma-  
 nuele Chrysolora Equite Græco: qui Re-  
 ge consentiente Constantiam Moguntinæ  
 provinciæ urbem in concilii locum, in  
 tempus autem Calendas Novembres anni  
 proximi elegerunt.

Deinde ipsi cum Rege congressi, post-  
 quam urbis Constantiæ amplitudinem,  
 commoditatemque ac securitatem nobis  
 affirmaverat, delectum ejus & Calendarum  
 Novembris approbavimus; ut iterum per  
 præsentem litteras confirmamus. Simul  
 venerabiles fratres nostras Episcopos, ac  
 dilectos filios nostros Abbates, cæteros-  
 que tum Ecclesiarum, tum cœnobiolorum  
 Præsides admonemus, ut concilio per se  
 ipsos interfint. Hortamur etiam Reges,  
 Principes, ac reliquos, qui ei adesse debent,  
 aut esse utiles possunt, ut per se ipsos com-  
 pareant, vel saltem Legatos mittant.

§. LVIII.

Sæcul. XV.  
A. C. 1414.

§. LVIII.

*Continuatio turbarum Angliæ.*

In Anglia Wicleffistæ sub Natalem Domini coeperunt in novum Regem Henricum V. cum V. conspirare duce Joanne Vetericastro: id enim sonat vox *Oldcastel.* Die Mercurii post festum Regum decimo Januarii anno 1414 noctu venerunt magno numero in vicinum Londino pagum S. Ægidii, volebantque Westmonasterium, S. Albani, S. Pauli, & cuncta Londini cœnobicia diruere. At Rex id edoctus suos capere arma jufferat, quibuscum eadem nocte ad locum, ubi rebelles erant, processit: qui videntes se proditos fracti animis fugam arripuerunt: multique suspensi sunt & combusti.

*Th. Vald. ep. ad Mart. V. Rayn. 1414. n. 15. Valsing. p. 385.*

*Godovin. p. 180.*

Paulo post per edictum publicum omnes Lollardi seu Wicleffistæ declarabantur in Deum, ac Regem perfidi; eorum bona addicta fisco; ipsi ut rebelles ad furcas, ut hæretici ad rogos damnati: quod executioni datum in multis, nominatim in Oldcastelio: multi alii e regno migrarunt in exilium. Archiepiscopus Cantuariensis Thomas Aruntinius 22 Februarii hoc anno 1414 de vita exiit: successitque illi Doctor Henricus Chichlæus Davidifanensis Episcopus. Elegerant eum Monachi

chi Cantuarienses: at Rex suffragia eorum approbare noluit, nisi Papa consentiret. Qui hinc accepit ansam vendicandi sibi plenam hujus Ecclesiæ collationem; postquam Monachorum electionem infirmaverat. Davidifanensis in Wallia Episcopatus traditus est Doctori Stephano Patringtono Carmelitæ Regis arcano Judici doctrinæ fama clarissimo.

## §. LIX.

*Rex Ladislaus moritur.*

Post Laudense colloquium Papa Joannes Placentiam, tum postremo Januarii anno 1414 Cremonam, inde Bononiam venit sub initium verni jejunii, cujus prima dies hoc anno erat 22 Februarii. Interim Rex Neapolis Ladislaus continuos in Italia progressus faciens Papam, ut ex urbe Roma pepulerat, ita ex Bononiæ moenibus extrudere statuit: quo fine magnum exercitum ineunte Junio collegit. Quæ res pavore implevit Cardinales, totamque Papæ Curiam: at ipse contrahabat copias, ac tueri se cogitabat.

Sed cuncti ex terrore receperunt animos, cum audiissent, versantem cum exercitu Ladislaum periculoso correptum morbo secedere coactum esse. Re ipsa Nea-

Secul. XV.  
A.C. 1414.

Rayn. n. 56.  
Th. Niem.  
vit. c. 39.

Sæcul. XV. Neapolim reversus ibi 6 Augusti vitam  
A. C. 1414. edidit, cum annos viginti quatuor regna-  
 fet. Solium dein conscendit soror ejus  
 Joanna II quadraginta quatuor annos ha-  
 bens.

## §. LX.

*Papa Joannes urbem Constantiam  
 adit.*

Tum Papa Joannes Romam petere, ac  
 reliquis cum terris Ecclesiæ recupe-  
 rare voluit. Sed Cardinales fortiter ob-  
 sistebant, si se illuc transferret, non inde  
 rediturum ad agendum ex promisso Con-  
 cilium, nec Ecclesiæ membra disjuncta  
 conjunctum iterum, aut correctum iri  
 prævidentes. Exponebant, ei præsentem  
 curanda esse negotia sacra, Legatis, ac  
 Prætoribus permittenda profana. Tan-  
 dem Constantiam proficisci statuit quan-  
 quam invito animo. Faciebat maximos  
 apparatus vestium, supellectilis pretiosæ,  
 ac gemmeorum ornatuum, ut cum splen-  
 dore compareret in concilio, suasque  
 ibi opes monstraret. Relicta Calendis  
 Octobris Bononia Veronam, dein Triden-  
 tum venit.

*Th. Niem.*  
 6. 40.

Tyrolim transiens subsistebat Meraniæ  
 parva Curiensis dioceseos urbe, ubi resi-  
 debat Fridericus Austriæ Dux, quem in-  
 visit,

visit, de periculo, in quo versari se cre-  
 debat, edoctum suppeticas rogavit, easque  
 pollicitum declaravit generalem suarum  
 copiarum Ducem cum annua pensione  
 sexies mille florenorum aureorum. Lit-  
 teras hac de re publicas dabat 15 Oct.  
 an. 1414. Denique Constantiam advenit  
 die Dominica 28 ejusdem mensis. In-  
 trabat eam sub umbella sublimis equo in-  
 ter Cardinales novem cum comitatu sex-  
 centorum hominum. Conventus tam  
 frequens erat, ut interdum Constantiæ  
 numerarentur triginta circiter equorum  
 millia, e quibus conjici potest hominum  
 multitudo.

Sæcul. XV.

A.C. 1414.

Hart. to. 2.

p. 146. to. 4.

p. 7.

Leon. Arez.

p. 258.

Per litteras convocationis inceptio  
 concilii fuit indicta in primam Novembris,  
 quæ hoc anno 1414 erat dies Jovis. At  
 ob festum Sanctorum omnium, & ob me-  
 moriam Animarum flammæ piaculares  
 tolerantium Papa de consilio Cardinalium  
 rem distulit in tertiam, postea in quintam  
 ejusdem mensis. Interim die Veneris  
 Constantiam attigerunt sex alii Cardina-  
 les Papæ Joannis.

Hart. to. 4.

p. 10. 11.

Die lunæ 5 Nov. Papam cathedrale  
 templum adeuntem comitabantur quin-  
 decim Cardinales, Archiepiscopi viginti  
 tres, Episcopi viginti septem, & qui erat  
 in urbe, Clerus omnis. Ibi hora septima  
 matutina habebatur congregatio ad in-

p. 12. 13.

*Hist. Ecclesiast. Tom. XXIV. Zz ce-*

Sæcul. XV.  
A.C. 1414

p. 14.

ceptionem concilii, quæ fiebat per solemnem supplicationem. Hac finita Papa peragebat sacrum de Spiritu Sancto: & Cardinalis Florentinus Franciscus Zarabella conscenso pulpito Papæ, Concillique nomine sessionem indixit in diem Veneris 16 ejusdem mensis. Die sabbati 10 Novembris Roma venerunt litteræ Cardinalis Jacobi Isolani pontificii hac in urbe Legati referentis, ibi rerum summopotentum Petrum Matthenzium inde pulsatum a se, ac profanam Papæ dominationem illuc restitutam esse. Qui nunciatus ingenti gaudio Constantiæ fuit acceptus; Deoque gratiæ pro re tam fausta solemniter agebantur.

§. LXI.

*Schisma Coloniense.*

Rayn. 1414.  
n. 12.

Interea Imperator Sigismundus Aquigrani 8 Novembris in æde Domine Nostræ Canonorum collegio clara consuetas inter ceremonias corona redemptus argentea mox rei notitiam Papæ Joanni dedit, se concilio quamprimum afferre spondens. Hanc ei coronam imposuit Coloniensis Archiepiscopus Theodericus Mursius successor Friderici Saverdii avunculi sui 6 Aprilis hoc anno mortui. Electio duplex fuit: pauci Canonici manent

Gall. Chri.  
to. 1. p. 266.  
Gobel. c. 93.  
p. 294

nentes Coloniae postularunt Guilielmum Montensem jam electum Paderbornensem Episcopum: caeteri Bonnam profecti suum in Archiepiscopum ibi cooptarunt Theodoricum Mursium Bonnae Praepositum, qui extincti avunculi sui thesaurum, ornatusque gemmeos, & quaedam dioeceseos castella occupaverat, quae vendidit, aut oppignoravit.

Ita congesta grandi pecunia ad Papam Joannem ornatissimos Oratores eximiiis cum donis misit: & cum praeterea per Imperatorem Sigismundum, ac Joannem Nassovium Moguntiae Archiepiscopum commendaretur, reapse Papa Joannes illius electionem confirmavit. Ex parte altera pro Guilielmo Montensi apud Gregorium XII per Legatos dixit Montium Dux Adolphus frater suus, cui multi se Optimates cum adjungerent, res grave in bellum duos inter aemulos erupit. Paderbornenses Canonici civesque Guilielmum agnoscere suum Episcopum quinquennio recusantes Theodoricum, ad quem ab illo desciverant, 2 Octobris ad se delatum receperunt in Administratorem episcopatus. Demum tam potenti adversario imparem se videns Guilielmus juncta cum eo pace, remissoque ambabus Ecclesiis nuncio duxit neptem Theodori,

saecul. XV.

A.C. 1414.

Secul. XV.  
A. C. 1414.

rici, qui sic permanfit tranquillus poffeffor  
folii Colonienfis.

## §. LXII.

*Flagellantes hæretici.*

Gobel. p.  
295.

Hoc anno 1414 in Misniæ urbe Sanger-  
husio deprehensi funt multi hæreti-  
ci, qui se dicebant *Fratres Crucis*, ac per-  
hibebant suam doctrinam esse haustam e  
scripto in Romanam S. Petri aram per  
Angelos delato sub annum 343: ita res  
hæc recidit in ætatem proximam a S.  
Silvestro. Ex illo tempore, aiebant, per-  
agramus orbem nos cædentes flagris:  
tunc enim Deus Papæ, cæterisque Præ-  
sulibus abdicatis ademit omnem potesta-  
tem ligandi, solvendi, & consecrandi  
quidpiam. Quemadmodum Christus ex-  
turbando venditores e templo sacerdo-  
tium Judaicum repudiavit ob nequitiam  
Sacerdotum: ita cum venissent Fratres  
Crucis, Deus sacerdotium Evangelicum  
rejecit ob malitiam Cleri.

Sex Sacramenta obsoleverunt in Ec-  
clesia. Nam quando Fratres Crucis coe-  
perunt per orbem ire post crucem ali-  
quam flagellis publice terga lacerantes  
sua, Deus abrogato baptismo aquæ in-  
stituit baptisma nostri sanguinis. Jam  
tum, cum in urbe Cana Galilææ Christus  
aquam

aquam in vinum rubrum converteret, in-  
 dicabat sub finem temporum baptismum  
 aquæ in baptismum sanguinis mutatum  
 iri. Proinde post adventum Fratrum Cru-  
 cis nemo fuit verus Christianus, nemo in-  
 trare cælum potuit, nisi per flagra sui san-  
 guinis baptismo respersus fuit in memo-  
 riam cruciatuum Christi. Sacramentum  
 altaris nec verum Christi corpus, nec ve-  
 rus Deus, sed Sacerdotum *Cuculus* est.  
 Confessio Sacerdoti facta, & hujus abso-  
 lutio nihil profunt ad condonationem pec-  
 catorum: sed quantumvis atrociam sint,  
 sufficit flagellorum pœna cum acerbo do-  
 lore de offensa Dei super omnia dilecti.  
 Quocirca quælibet noxarum venia est  
 nulla; quisquis eam dederit.

Elias, ac Enoch jam pridem in orbe  
 comparuerunt, & sunt mortui. Elias ab-  
 hinc annos quadraginta Erfordiæ concre-  
 matus est: Enoch erat Doctor Conradus  
 cognomine Faber; qui hanc doctrinam  
 primus in Thuringia tradidit. Deus  
 omnes animas in principio mundi crea-  
 vit simul, & cum primo homine in para-  
 diso posuit: unde Angelus unam trans-  
 fert in quamvis prolem animandam. Sic  
 Enochi ac Eliæ animæ sunt infusæ duci-  
 bus instituti nostri. Extremo die præsi-  
 debit judicio Conradus Faber, non Chri-  
 stus. Post mortem non dantur flammæ

Saecul. XV.  
A. E. 1514.

piaculares: ac exequiæ nil juvant mortuos; vivis duntaxat sunt solatio; Clero quoque serviunt ad loculos implendos.

Non sunt celebrandæ feriæ præter diem Dominicum, Natalem Christi ac solemne Assumptæ in cælum sanctæ Virginis. Quando Christi Natalis est dies Veneris, abstinentia carniùm haud omitti debet. Isti autem hæretici se conformabant ad reliquos Christianos in agitandis diebus festis, in servandis jejuniis, in cultu imaginum, quem tamen vocabant idololatriam. Sed metuebant scilicet, ne observarentur: & hæc errata, ut censebant, postea flagrorum ictibus expiabant.

\* Schönfeld. Ab Henrico \* Bellagrio Doctore Theologiæ ac Inquisitore convicti horum errorum omnium, damnati ad ignes, & Sangerhusii combusti sunt.



INDEX